







JUSTINIANI PRINCIPIS  
INSTITUTIONES.

JUS CIVILE ABBREVIATUM

REDACTUM

AD DEFINITIONES ET DISTINCTIONES

JUSTINIANI PRINCIPIS

INSTITUTIONES ET ELEMENTA

PERSPICUE PERSECUTES.

AUCTORE

*ANTONIO JUGLA , ET FONT,*

*Jur. Civ. Doct. et Canonici*

*Baccalaureo , &c.*

EDITIO ULTIMA MAXIME CORRECTA.



*VALENTIE*

IN TYPOGRAPHIA ILDEPHONSI MOMPIE.

ANNO 1826.

AD INSTITUTIONES  
SEU ELEMENTA  
JUSTINIANI  
PRINCIPIS.

PROLEGOMENON.

---

*Se hallará esta y otras obras en su misma  
librería, calle nueva de San Fernando,  
nüm. 64, junto al Mercado.*

---

Romulus postquam Romanam Urbem condidit, eam Legibus munivit, et primò solus, postea verò Tito Tatío Sabinorum Rege in ejus societatem, et Urbis regimen admissò, in ea, perquam laudabilis Reipublicæ primordia stabilivit. Romulo successit in Regno Numa Pompilius, qui sacra, ceremonias, Deorum-

que cultus instituit. Hunc sequuti Tullus Hostilius, Ancus Martius, et Priscus Tarquinius, qui nullas penè Leges condiderunt. Post hos Servius Tullius Instituta Reipublicæ ampliavit, quem sequutus L. Tarquinius Superbus, sub cuius Imperio, Regia potestas Consulari cessit, anno ab Urbe condita ducentesimo quadragésimo quarto, quo quidem anno post Reges expulsos, primi Lucius Junius Brutus, et Lucius Tarquinius Collatinus, Consules fuerunt. Consulum auctoritas viguit, per quatuorcentos quinquaginta annos, quorum spatio, Jus moribus receptum, Leges duodecim

tabularum, Jus civile non scriptum, Legis actiones, Leges, Plebiscita, Senatusconsulta, et Magistratum edicta constituta fuerunt. Postea Romani Imperii status sub Cæsaribus, seu Imperatoribus fuit, sub quibus Juris Civilis sapientia ad perfectam maturitatem pervenit, et maximopere sub Imperatore Justiniano emicuit, qui inter alia, quatuor Institutionum Libros edidit, quos nunc singulatim persequemur.

# INSTITUTIONUM

SEU

ELEMENTORUM

## D. JUSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS

LIBER PRIMUS.

TITULUS PRIMUS.

DE JUSTITIA, ET JURE.

*Quotuplex est Justitia?*

**D**uplex. Universalis, et Particularis.

*Quid est Justitia Universalis?*

Quæ continet in se virtutes omnes, quatenus hæ conducunt ad perfectionem, et conservationem civilis societatis. Et inde ortum proverbium.

Justitia in sese virtutes continet omnes.  
*Arist. 5. Ethic. cap. 1.*



*Justitia Universalis differtur essentia a virtute in genere.*

Minimè. Tantùm differt in eo, quod quando consideratur ut habitus animi, dicitur Virtus simpliciter; quando verò ut civilis societatis conservatrix, Justitia. *Arist. ibid.*

*Quid est Justitia Particularis?*

Constans, et perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuendi. *Ulp. l. 10. D. h. t.*

*Quotuplex est Justitia Particularis?*

Duplex. Distributiva, et Commutativa.

*Quænam est Justitia Distributiva?*

Quæ respicit quod quisque meretur, quod cuique convenit, sive ad præmium sit; sive pœna, sive honor, sive onus. *Arist. 5. Ethic. cap. 3. et 4.*

*Quænam est Justitia Commutativa?*

Quæ suum cujusque propriè sumptum spectat. *Arist. ibid.*

Quidam volunt a Justitia Commutativa respici proportionem arithmetica, et a distributiva geometricam.

*Quid est Proportio Arithmetica?*

Commensuratio partium alicujus simpliciter, seu sine comparatione ad alios. Sic si unum tantùm aptus inveniretur ad munus publicum obeundum, ei non alia quam simpliciter commensione attributio fieret.

*Quid est Proportio Geometrica?*

Commensuratio partium alicujus comparative ad alios. Hæc proportio servatur in contractu societatis, ubi si unus e duobus Socijs decem aureos in commercio posuerit, eisque sexaginta superlucrati fuerint, eorum alteri qui posuit decem, viginti; alteri verò qui posuit viginti, quadraginta, servata proportione correspondent.

*Quid est Jurisprudentia?*

Divinarum, atque humanarum rerum notitia, justis atque injustis scientia. *Ulp. l. 10. §. 2. D. h. t.*

*Quid est Jus?*

Natura, aut populi, ejusve qui vicem populi sustinet, jussum.

*A quo dicitur Jus?*

A Justitia. *Ulp. l. 2. D. h. t.*

*Quot sunt Juris præcepta?*

Tria. Honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere. *Ulp. l. 10. §. 1. D. et §. 3. Imp. Inst. h. t.*

*Quotuplex est Jus?*

Duplex, Publicum, et Privatum.

*Quid est Jus Publicum?*

Quod ad statum rei Romanæ spectat. *Ulp. l. 1. §. 2. D. h. t.*

*Quid est Jus Privatam?*

Quod ad singulorum utilitatem pertinet.

*Ibid.*

## TITULUS II.

### DE JURE NATURALI, GENTIUM, et Civili.

*Quo'uplex est Jus privatam?*  
Triplex Naturale, Gentium, et Civile.  
*Ulp. l. 1. §. 2. D. et §. 4. Imp. Inst. de just. et jure.*

*Quid est Jus Naturale?*

Quod natura omnia animalia docuit. *Ulp. l. 1. §. 3. D. de just. et jur. Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Quotupliciter sumi potest?*

Dupliciter. Materialiter, hoc est quoad appetitum, et instinctum naturæ; quo modo commune est hominibus, et belluis: et Formaliter, scilicet quoad rationem; quo modo non nisi homini convenire potest.

*Quid est Jus Gentium?*

Primarium est: Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, et apud omnes gentes peræque custoditur. *Gaj. l. 5. D. de just. et jure, §. 1. Imp. Inst. h. t.*

Hoc jus est immutabile, quia non a nobis excogitatum, sed nobiscum natum, et da-

tum est a Deo, apud quem nulla est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *§. 11. Imp. Inst. h. t.*

Jus Gentium Secundarium est: Quod usu, et humanis necessitatibus exigentibus constitutum est, aut alia ratione introductum. *§. 2. Imp. Inst. h. t.*

Hoc jus mutabile est; sepe enim populi consensu, vel alia posteriori lege mutari solet. *§. 11. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Jus Civile?*

Quod quisque populis sibi constituit. *Gaj. l. 9. D. de just. et jure, §. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Quotuplex est Jus Civile?*

Duplex. Merum, et Mixtum.

*Quid est Jus Civile Merum, seu Simpliciter Civile?*

Quod pertinent omnes leges, quæ ideo tantum justæ sunt, et obligant, quia a civili potestate sancitæ sunt, ut jura adoptionum, usucapionum, &c.

*Quid est Jus Civile Mixtum?*

Cum juri communi lex civilis aliquid addit, aut detrahit, aut quod illo jure indeterminatum est, determinat. *Ulp. l. 6. D. de just. et jur.* *Quid est Jus Scriptum?*

Quod in expressa voluntate, et sanctione civilis potestatis consistit.

*Quænam sunt Juris Scripti species?*

Lex, Plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Magistratum edicta, Responsa prudentum. §. 3. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Lex?*

Quod Populus Romanus, Senatorio Magistratu interrogante (veluti Consule) constituebat. §. 4. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Plebiscitum?*

Quod plebs, plebejo Magistratu interrogante (veluti Tribuno) constituebat. *Ibid.*

*Quid est Populus?*

Universi Cives, connumeratis etiam Patriciis, et Senatoribus.

*Quid est Plebs?*

Universi Cives, demptis Patriciis, et Senatoribus.

*Quid est Senatusconsultum?*

Quod Senatus jubet, atque constituit. *Pompon. l. 2. §. 9. D. de orig. jur. §. 5. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Senatus?*

Cœtus ille honestissimus Senatorum, qui centum erant numero.

*Quid est Principis placitum?*

Constitutio Principis. Seu: Quod Principi placuit. *Ulp. l. 1. D. de const. prin. §. 6. Imp. Inst. h. t.*

*Quot sunt Principis constitutiones?*

Duo. Aliæ sunt Generales, aliæ Personales.

*Quænam sunt Generales?*

Quæ natura sua ad omnes porriguntur, et omnes tenent; ut Epistolæ, Decreta, et Edicta.

*Quid est Epistola Principis?*

Rescriptum quo privatis de jure suo consentientibus Princeps respondet.

*Quid est Decretum Principis?*

Cùm Princeps de causa cognoscit, et partibus auditis, sententiam pronunciat.

*Quid est Principis Edictum?*

Principis constitutio generaliter, et motu proprio facta ad utilitatem subditorum.

*Quænam sunt Principis Constitutiones Personales?*

Illæ quibus jus singulare in certæ alicujus personæ gratiam constituitur; ut sunt Privilegia.

*Quid est Privilegium?*

Principis constitutio, qua præter rationem juris communis, alicui Princeps aliquid concedit.

*Quid sunt Magistratum, seu Prætorum Edicta?*

Omne quod Magistratus juris civilis ad-

juvandi, supplendi, vel corrigendi causa introduxerunt. *Papin. l. 7. §. 1. D. de just. et jure.*

*Quid sunt Responsa Prudentum?*

Sententiæ, et opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. §. 8. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Sententia?*

Firma, et indubitata responsio: ut si dicat Jurisconsultus, non dubito, certus sum, &c.

*Quid est Opinio?*

Responsio quæ cum aliqua dubitationis nota profertur: ut si dicat Jurisconsultus, puto, existimo, mihi videtur, &c.

*Quid est Jus non scriptum?*

Quod consuetudo, et usus approbavit, *Julian. l. 32. Hermog. l. 35. Paul. l. 36. et Modest. l. 40. D. de leg. senat. cons. §. 9. Imp. Inst. h. t.*

### TITULUS III.

#### DE JURE PERSONARUM.

Omne Jus quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. *Gaj. l. 1. D. stat. hom.*

Usque ad finem libri primi Imperialium Institutionum, de jure personarum agitur; toto libro secundo, et tertio, usque ad titu-

lum sextum libri quarti, de rebus; et a titulo sexto libri quarti, usque ad finem ejusdem, de actionibus pertractatur.

*Quid est Persona?*

Homo statu quodam veluti indutus.

*Quis est Status naturalis Hominis?*

Qui commensuratur ex natura, et essentia hominis. In hac consideratione Servus persona dicitur. *Paul. l. 215. D. de verb. sign.*

*Qui est Status civilis Hominis?*

Qui commensuratur ex præceptis, et regulis Juris. In hac consideratione Servus non persona, sed res dicitur. *Ulp. in fragm. tit. 19. §. 1.*

*Quomodo dividitur Homo?*

In Liberum, et servum. *Gaj. l. 3. D. de stat. hom.*

*Quid est Libertas?*

Naturalis facultas ejus quod cuique facere liber, nisi si quid vi, aut jure prohibetur. *Florent. l. 4. D. de stat. hom. §. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Servitus?*

Constitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. *Florent. ibid. §. 2. Imp. Inst. h. t.*

*Unde Servi tales dicuntur?*

A servando; nam cum possent a victori-

bus occidi, Imperatores eos servare solebant ut venderent.

*Qui sunt Hostes?*

Illi quibus bellum publicè Populus Romanus decrevit, vel ipsi Populo Romano. *Ulp. l. 24. D. de capt. et post. rev.*

*Quibus modis Servi constituuntur?*

Si tales nascuntur, vel fiant. §. 4. *Imp. Inst. h. t.*

Quicumque nascuntur ex ancillis, jure gentium servi fiunt. *Marcian. l. 5. §. 1. de stat. hom. §. 4. Imp. Inst. h. t.*

Jure gentium fiunt etiam servi, quicumque ab hostibus capiuntur. *Ibid.*

Jure civili servi fiunt, omnes illi qui si vigesimum ætatis annum excesserint, ad pretium participandum sese venundari passi fuerint. *Ibid.*

*Quotuplex est Servorum conditio?*

Una tantum. *Marcian. l. 5. in princ. D. de stat. hom.*

Omnes æquè sunt servi, licet opera, et ministeriis inter se differant, eorumque aliis honestior, ut atriensibus, dispensatoribus, amanuensibus, aliis minus honesta provincia mandetur. ut mediastinis, focariis, fornicatoribus, nam cum totum hoc sit arbitrii herilis, eorum conditionem non mutat. *Ulp.*

*l. 15. §. 44. D. de inj. et fam. lib. Vinn. ad §. 5. Imp. Inst. h. t. in prin.*

*Quis est Statuliber?*

Qui statutam, et destinatam in tempus, vel conditionem libertatem habet. *Paul. l. 1. D. de statulib.*

## TITULUS IV.

### DE INGENUIS.

*Quotuplex est Liberorum conditio?*

Duplex. Liberi enim, aut Ingenui sunt, aut Libertini. *Marcian. l. 5. D. de stat. hom. §. 5. Imp. Inst. de jur. pers.*

*Quis est Ingenuus?*

Qui statim ut natus est liber est. *Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Si quis ex Matre libera, et Patre servo, vel incerto natus sit, eritne liber?*

Utique erit; quia qui nascitur ex illegitimo matrimonio, conditionem matris sequitur. *Cels. l. 19. et Ulp. 24. D. de stat. hom.*

Si Ancilla prægnans manumissa sit, deinde Ancilla postea facta pariat, liberum parere certum est, quia sufficit ei qui in utero est, liberam matrem, vel medio tempore habuisse ut liber nascatur. *Marcian. l. 5. §. 3. D. de stat. hom.*

*Quis dicitur in servitute esse?*

Qui cum servus non sit, pro servo habetur.

## TITULUS V.

### DE LIBERTINIS.

*Quinam sunt Libertini?*

Qui ex justa servitute manumissi sunt, *Gaj. l. 6. D. de stat. hom. Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Manumissio?*

Est: De manumissio, aut datio. Seu: Datio libertatis. *Ulp. l. 4. D. de just. et jure, Prin. Imp. Inst. h. t.*

*In quo differt Libertus a Libertino?*

In eo tantum, quod qui ex justa servitute manumissus est, habito respectu ad Patronum qui eum manumissit, dicitur Libertus; habito verò respectu ad personæ conditionem dicitur Libertinus. *Marcel. l. 1. et Ulp. l. 6 D. si ingen. esse dic.*

*Omnes qui manumittuntur eadem potiuntur libertate?*

Utique. Hocque per Novellam Justiniani Constitutionem LXXVIII. cap. V. Nam Augusti temporibus, ne Civitatis Romanæ vulgaretur honos, et Populus ab omni col-

lutione peregrini, ac servilis sanguinis servaretur incorruptus, e servis, qui majorem, et justam libertatem consequerentur, fiebant Cives Romani; qui minorem, Latini ex Lege Junia Norbana; qui verò inferiorem, fiebant ex lege Ælia Sentia, Dedititii.

*Quinam erant Cives Romani?*

Qui manumissionis beneficio, libertatem simul, et Civitatem Romanam consequerentur.

*Quinam erant Libertini Latini, sive Latini Juliani?*

Illi quibus propter manumissionem libertas, non Civitas competebat.

*Quinam erant Dedititii?*

Qui propter admissa crimina, supplicii affecti, vel in publicum carcerem conjecti, minimam omnium libertatem jure manumissionis obtinebant.

Quocumque tempore, aut die, sive festo, sive profesto, sive fasto, sive nefasto, manumittere permissum fuit.

## TITULUS VI.

QUI, ET EX QUIBUS CAUSIS  
manumittere non possunt.

*Potest quis alium ex qualibet causa  
manumittere?*

**M**inimè. Nam in fraudem creditorum ma-  
numittere non licet, nec minor viginti  
annis potest manumittere, nisi justa cau-  
sa apud concilium approbata; nam alias  
lex Ælia Sentia libertatem impedit. *Julian.*  
*l. 7. §. 1. et Paul. l. 16. §. 2. D. qui, et a*  
*quib. man.*

*Quis dicitur in fraudem Creditorum  
manumittere?*

Qui dum manumittit solvendo non est,  
vel datis libertatibus desiturus est solvendo  
esse *Gaj. l. 10. D. qui, et a quib. man.*

*Quinam solvendo non sunt?*

Illi qui plus debent, quam in bonis ha-  
beant. Sive: Qui non possunt solvere soli-  
dum quod debent. *Javol. l. 114. D. de verb.*  
*sign.*

## TITULUS VII.

DE LEGE FUSIA CANINIA  
tollenda.

*Quid cautum lege Fusia Caninia?*

**N**eminem posse servos omnes simul ma-  
numittere, sed tantum certum numerum de  
certo numero.

Hanc legem utpote libertates impedi-  
entem, et quodammodo invidiam sustulit Jus-  
tinianus. *L. unic. C. h. t.*

## TITULUS VIII.

DE HIS QUI SUI, VEL ALIENI  
Juris sunt.

*Quomodo dividuntur Personæ?*

**I**n eas quæ sunt juris, et eas quæ sunt  
alieno juri subjectæ. *Gaj. l. 1. D. h. t.*

*Quænam est Persona sui juris?*

Quæ nec patri, nec domino subjacet.

*Quænam est Persona alieno juri subjecta?*

Quæ patri, aut domino subjacet.

*Licet Domino servum occidere?*

Sine justa causa non licet. *Gaj. l. 1. §. 2.*  
*D. h. t.*

Licet verò si causa adsit, si nimirum servum dominus in facinore deprehenderit.  
*Marcel. l. 96. D. de verb. obl.*

## TITULUS IX.

## DE PATRIA POTESTATE.

*Quid est Patria potestas?*  
**J**us quod competit patri respectu filiorum.

*Quot modis Patria potestas constituitur?*  
Tribus. Justis nuptiis, Legitimatione, et Adoptione.

*Quid sunt Nuptiæ, sive Matrimonium?*  
Viri, et Mulieris conjunctio, individuum vitæ consuetudinem continens. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Polygamia?*  
Nuptiæ cum pluribus uxoribus eodem tempore contractæ.

*Quid est Polyviria?*  
Nuptiæ cum pluribus viris eodem tempore contractæ.

*Quid sunt Sponsalia?*  
Mentio, et repromissio futurarum nuptiarum. *Florent. l. 1. D. de Sponsal.*

## TITULUS X.

## DE NUPTIIS.

*Quid requiritur ad justas Nuptias?*  
Conditio personarum, ætas habilis, consensus, et ut absit impedimentum.

*Quænam Personarum conditio requiritur?*  
Oportet contrahentes esse Cives Romanos, nam servi, latini, peregrini, deportati, nuptias contrahere minime possunt.  
*Ulp. in fragm. tit. 5. §. 4.*

*Quænam est ætas habilis?*  
Ea in qua natura apta esse creditur ad generandum. In masculis post annum decimum quartum, in foeminis post duodecimum annum. *Arist. 7. pol. 16. Pompon. l. 4. D. de ritu nup.*

*Quorum consensus requiritur?*  
Contrahentium, et Parentum. *Paul. l. 2. D. de ritu nup.*

Contrahentium, quia nemo horum invitus ad matrimonium duci potest. *Terent. Clem. l. 21. D. de ritu nup.*

Parentum, quia hoc reverentia, et obsequium naturæ lege Parentibus debitum exigere videtur.

*Quænam impedimento sunt Nuptiis?*  
Affinitas, et Cognatio contrahentium. In



linea recta usque in infinitum, in collateralili, usque ad quartum gradum nuptiæ prohibentur. §. 1. 2. et 3. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Affinitas?*

Necessitudo quæ per nuptias contrahitur inter unum conjugem, et cognatos alterius. *Modest. l. 4. §. 3. D. de grad. et aff.*

*Quid est Cognatio?*

Duorum, vel plurium conjunctio, quorum alter ab altero, vel uterque a communi stipite ortum ducit.

*Quotuplex est Cognatio?*

Duplex. Agnatio, et Cognatio in specie.

*Qui sunt Agnatii?*

Qui per virilis sexus personas cognatione juncti sunt. *Gaj. l. 7. D. de legit. tut.*

*Qui sunt Cognati in specie?*

Qui per foeminei sexus personas cognatione juncti sunt. *Paul. l. 10. §. 2. D. de grad. et aff.*

*Rursus quotuplex est Cognatio?*

Triplex. Mere naturalis, mere civilis, et mixta.

*Quænam est Cognatio mere naturalis?*

Quæ illegitimo coitu contrahitur. *Modest. l. 4. §. 2. D. de grad. et aff.*

*Quænam est Cognatio mere civilis?*

Quæ per adoptionem constituitur. *Id. ibid.*

*Quænam est Cognatio mixta?*

Quæ versatur inter eos, qui ex justo matrimonio procreati sunt, utroque videlicet jure concurrente. *Id. ibid.*

Quid sit cognationis gradus, et linea, et quotuplex, vide infra. *tit. 6. lib. 3.*

*Quid est Servilis Cognatio?*

Illam sanguinis necessitudo, quam libertini contraxerunt dum essent in servitute.

*Quid est Legitimo?*

Actus legitimus, quo liberi extra nuptias suscipiuntur, efficiuntur legitimi, et Patris potestati subjiciuntur.

*Quotupliciter fit Legitimitas?*

Triplex. Vel per Curia oblationem, vel per subsequens matrimonium, vel per rescriptum Principis.

## TITULUS XI.

### DE ADOPTIONIBUS.

*Quid est Adoptio?*

Actus legitimus, quo in jus, et locum filiorum familias, adsciscimus qui nobis extranei sunt, in solatium eorum qui liberos non habent inventus.

*Quotuplex est Adoptio?*

Duplex. Adrogatio, et Adoptio in specie.

*Quid est Adrogatio?*

Adoptio eorum qui sunt sui juris, facta auctoritate Principis. *Gaj. l. 2. D. h. 1.*

*Quid est Adoptio in specie?*

Adoptio eorum qui sunt in potestate Parentum, auctore Patre qui in potestate habet, apud Magistratum, apud quem est legis actio. *Id. ibid.*

*Quid est Legis actio?*

Id quod fit ex præscripto, et forma legis; cum solemnibus ad rem aliquam peragendam constitutis.

*Spadones, et qui generare non possunt, poterunt adoptare?*

Qui liberos non habent, ob defectum naturæ, ut Castrati, Thlibiæ, et Thlasiaæ, adoptare non possunt; qui verò ob temporale vitium liberos non habent, ut Spadones, adoptare possunt, quia vitio sublato spem generandi habent. *Ulp. l. 39. §. 1. D. de jur. act. Gaj. l. 2. §. 1. et Modest. l. 40. §. 2. D. h. 1.*

*Qui sunt Castrati?*

Illi quibus execti sunt testiculi.

*Qui sunt Thlibiæ?*

Illi quibus testiculi attriti sunt.

*Qui sunt Thlasiaæ?*

Illi quibus rupti sunt testiculi.

*Qui sunt Spadones?*

Qui propter morbum aliquem, aut frigiditatem membrorum, liberis procreandis operam dare non possunt, spem tamen, et facultatem generandi non omnino amisserunt.

Novel. Leon. Imp. Const. XXVI. Castratis adoptare permittitur, quia *inhumanum esset, si quod genitalibus privati sunt, insuper etiam liberorum ministerio privarentur.*

## TITULUS XII.

QUIBUS MODIS JUS PATRIÆ potestatis solvitur.

*Quod sunt modi quibus Patria potestas solvitur.*

Septem. Mors Patris aut Avi, Deportatio, Servitus poenæ, Dignitas Patriciatus, Captivitas, Emancipatio, et Adoptio.

*Quid est Deportatio?*

Capitis minutio, qua qui afficitur in numero Civium esse desinit.

*Cur deportatione solvitur Patria potestas?*

Quia hæc est propria Civium Romano-

rum, et qui deportatur in numero Civium esse desinit.

*Quid est Relegatio?*

Est poena, qua quis in insulam mittitur, ut ex ea egredi non possit, salvo tamen jure Civitatis.

Cum Relegatus Civis Romanus maneat, non amittit Patriam potestatem. *Marcian. l. 4. D. de interd. et rel.*

*Quaenam est Servitus poenae?*

Ea qua quis non alium dominium habet quam ipsam quodammodo poenam cui est addictus.

*Quinam Servi poenae efficiuntur?*

Qui in metallum damnantur, et qui bestiis subjiciuntur, qui quidem omnes cum Civitate, et libertate, Patriam potestatem amittunt. *Marcian. l. 17. Ulp. l. 8. §. II. D. de poenis.*

*Quinam sunt Patricii?*

Stante Republica: Qui progenies erant eorum Senatorum quos Romulus creaverat.

Translato Imperio Constantinopolim: Illi quos Principes ex Senatoribus qui curulis Magistratibus functi erant, sibi Conciarios, et quasi Patres eligebant.

*Quid est Jus postliminii?*

Jus, sive beneficium quo Civis Romanus

ab hostibus captus flagitur nunquam fuisse captus, si fuerit reversus; atque ita recuperat omnia sua pristina jura, quasi nunquam fuisset captus.

Captivitate magis suspenditur, quam tollatur Patria potestas, propter jus postliminii, quo sicut reliqua omnia, etiam Patria potestas retinetur.

*Quid est Emancipatio?*

Actus legitimus, quo liberi e manu Patris apud competentem Judicem dimittuntur.

Emancipatus cum fiat sui juris, desinit esse in potestate Patris. §. 6. *Imp. Inst. h. t. Qualibet adoptione solvitur Patria potestas?*

Si Filius Avo, vel Proavo naturali in adoptionem datus fuerit, solvitur Patria potestas; minimè verò si extraneo, sic enim jura Patris naturalis integra manent. *Justin. l. 10. de adop.*

TITULUS XIII.

DE TUTELIS.

*Quid est Tutela?*

Vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum qui per aetatem se defendere

nequit, jure civili data; atque permissa  
*Serv. l. i. D. h. t.*

*Quis est Tutor?*

Qui habet hanc vim, ac potestatem in  
capite libero, &c.

*Quotuplex est Tutela?*

Triplex. Testamentaria, Legitima, et  
Attiliana seu dativa.

*Quænam est Tutela Testamentaria?*

Quæ liberis illis qui sui hæredes sunt, Pa-  
rentum testamento constituitur.

*Possuntne Posthumis Tutores dari?*

Ita. Si in ea causa sint, ut si vivis Paren-  
tibus nascerentur, sui hæredes fierent; quia  
qui in utero sunt pro jam natis habentur,  
si de commodo eorum quærat. *Paul. l. 7.  
D. de statu hom.*

Qui sint posthumi, vide infra, *tit. 12. lib. 2.*

#### TITULUS XIV.

QUI TESTAMENTO TUTORES  
dari possunt.

*Quinam Tutores dari Possunt?*

Paterfamilias, filiusfamilias, et etiam ser-  
vus proprius testamento liber factus.

*Si sine libertate Servus Tutor institutus  
fuerit, eritne Tutor?*

Utique; quia ex quo Tutor instituitur,  
directam libertatem accipere videtur, et  
per hoc recte Tutorem esse. *§. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Quænam est Libertas directa?*

Quæ recta ex testamento ad servum tran-  
sit, sine alterius facto, aut opera.

*Quænam est Libertas Fideicommissaria?*

Ea quam Testator verbis precariis relin-  
quit: vel cum Testator fidei hæredis com-  
mittit in testamento, ut servum ejus manu-  
mittat.

*Potest Furiosus, et minor xxx. annis  
Tutor institui?*

Ita. Sed eo tempore quo Furiosus com-  
pos mentis erit, et minor major Tutores  
erunt. *Ulp. l. 10. §. 3. D. de test. tut.*

#### TITULUS XV.

DE LEGITIMA AGNATORUM  
Tutela.

*Quænam est Tutela legitima?*

Quæ lege deferretur iis fere, qui ad legi-  
timam hæreditatem Impuberis vocantur.

*Quot sunt ejus species?*

Quatuor. Agnatorum, Patronorum, Patrenum, et Fiduciaria.

*Quænam es legitima Agnatorum Tutela?*

Quæ specialiter, et nominatim ex verbis, et mente XII. Tab. defertur proximis agnatis.

## TITULUS XVI.

### DE CAPITIS DEMINUTIONE.

*Quid est Capitis Deminutio?*

Prioris status mutatio. *Prin. Imp. Ins. h. t.*  
*In quo consistit status iste?*

In eo jure quod singuli in civitate habent, nimirum in libertate, civitate, et familia.

*Quotuplex est Capitis Deminutio?*

Triplex. Maxima, Minor seu Media, et Minima. *Paul. l. 11. D. de cap. min.*

*Quid est Capitis Deminutio Maxima?*

Cum quis simul et civitatem, et libertatem amittit; nempe cum fit servus poenæ *Paul. ibid. §. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Capitis Deminutio Minor, seu Meia?*

Cum quis civitatem amittit, libertatem verò retinet; ut cum quis deportatus in in-

sulam, vel alicui aqua, et igni interdictitur. *Paul. ibid. §. 2. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Capitis Deminutio Minima?*

Cum civitas retinetur, et libertas; sed status hominis commutatur: ut cum quis emancipatur, vel adrogatur. *Paul. ibid. §. 3. Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XVII.

### DE LEGITIMA PATRONORUM Tutela.

*Quænam est legitima Patronorum Tutela?*

Quæ ex lege XII. Tab. defertur Patronis, eorumque liberis, in personam liberorum suorum impuberum.

## TITULUS XVIII.

### DE LEGITIMA PARENTUM Tutela.

*Quænam est legitima Parentum Tutela?*

Quæ Parentibus defertur in liberos impuberes a se manumissos. *Ulp. l. 3. §. 10. D. de legit. tut.*

## TITULUS XIX.

## DE FIDUCIARIA TUTELA.

*Quænam est Tutela Fiduciaria?*

Quæ mortuo Parente tutore legitimo, liberis ejus defertur, in liberos alios impuberes ab eo manumissos.

*Quis est Tutor Fiduciarius?*

Qui liberum caput mancipatum sibi a Patre, vel a coemptore manumissit.

## TITULUS XX.

DE ATILIANO TUTORE, ET EO QUI  
ex lege Julia, et Titia dabatur.

*Quænam est Tutela Attiliana, seu Dativæ?*

Quæ deficientibus testamentariis, legitimis, et fiduciariis, constituitur a Magistratu, cui lege nominatim hoc concessum est.

*Cur dicitur Attiliana?*

Quia lex Attilia potestatem dandi tutores pupillis, et mulieribus non habentibus, concessit Prætori Urbano, et majori parti Tribunalium plebis: quæ potestas etiam in provinciis earum Præsilibus concessa fuit a

lege Julia, et Titia. *Ulp. in fragm. tit. 11. §. 18. Prin. Imp. Inst. h. 1.*

*Quis est Tutor Attilianus?*

Qui dabatur ex lege Attilia, scilicet a Prætoribus Urbano, vel majori parte Tribunalium plebis.

## TITULUS XXI.

## DE AUCTORITATE TUTORUM.

*Quid est Tutoris Auctoritas?*

Est Tutoris approbatio, ejus quod a pupillo, vel cum pupillo geritur. *Paul. l. 3. D. de auc. et con. tut.*

*Quibus in causis necessaria est Tutoris Auctoritas, et in quibus non?*

Si pupillus aliquid sibi dari stipuletur, seu meliorem suam conditionem faciat, non est necessaria Tutoris auctoritas. Si vero pupillus aliquid promittat, seu deterioorem suam conditionem faciat, indiget Tutoris auctoritate. *Gaj. l. 9. D. de auc. et con. tut. Marcian. l. 11. D. de acq. rer. dom.*

Ad adeundam hæreditatem, bonorum possessionem petendam, et hæreditatem ex fideicommisso suscipiendam, (etsi meliorem suam conditionem faciant) egent pupilli

Tutoris auctoritate; hocque ne ullum in eo  
damnum habeant. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*  
*Quid fiet si Pupillus sine Tutoris Auctoritate  
stipuletur?*

Pupillus non obligabitur, et qui cum eo  
contraxerint obligabuntur. *Ulp. l. 13. §. 29.*  
*D. de act. emp. et ven. et l. 33. D. pro socio.*

## TITULUS XXII.

### QUIBUS MODIS TUTELA FINITUR.

*Quod sunt modi quibus Tutela finitur?*

Octo, Pubertas, Capitis deminutio pu-  
pilli, Eventus conditionis, Mors pupil-  
li vel Tutoris, Capitis deminutio Tu-  
toris, Eventus temporis, Remotio, et Ex-  
cusatio,

Pubertas in maribus post annum xiv. in  
fœminis post xii. annum judicatur. *Justin.*  
*l. 3. C. quan. tut. vel cur. esse des.*

Quacumque capitis deminutione pupilli  
tutela finitur. *Ulp. l. 14. in prin. et §. 1. D.*  
*de tutel.*

Capitis deminutione maxima, vel me-  
dia Tutoris, perit tutela; minima non ita.  
§. 4. *Imp. Inst. h. t.*

Si Tutor datus fuerit ad certum tempus,

finito eo tempore, finitur etiam tutela. *Ulp.*  
*l. 14. §. 3. D. de tutel.*

Si Tutor ut suspectus removeatur, vel  
ex-usari se voluerit, tutelam finire constat.  
*infra tit. 25. et 26. huj. lib.*

## TITULUS XXIII.

### DE CURATORIBUS.

*Quid est Curatio?*

Potestas jure constituta ad curandas res  
ejus, qui quoquo modo rebus suis superesse  
non potest.

*Quid est Curator?*

Qui habet hanc potestatem jure consti-  
tutam, &c.

*Ob quas rationes, et quibus Curatores  
dantur?*

Propter ætatem, minoribus xxvi. annis.  
*Ulp. l. 1. §. 3. D. de min. xxv. ann.*

Ob animi, aut corporis morbum, furio-  
sis, prodigis, mutis, surdis, et perpetuo  
morbo laborantibus. *Ulp. l. 1. D. de cur. fur.*  
*et l. 8. §. 3. D. de tut. et cur. dat. §. 3. et*  
*4. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Furor?*

Mentis ad omnia cæcitas.

*Quis est Furiosus?*

Qui res agit rabie quadam animi.

*Quot sunt Furiosorum genera?*

Duo, Primum eorum qui continuam abalienationem mentis habent. Secundum eorum qui remissionem aliquam, et intervalla habent. *Macer. l. 14. D. de off. præsidis.*

*Quis est Menecaptus?*

Qui magis in quiete quam furiosus est, nec ulla signa ostendens extrinsecus.

*Quis est Prodigus?*

Qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando, et dissipando profundit. *Ulp. l. 1. D. de cur. fur.*

## TITULUS XXIV.

### DE SATISDATIONE TUTORUM, vel Curatorum.

*Quid est Satisdare?*

Fidejussoribus datis cavere. *Gaj. l. 1. D. qui s. t. cog.*

*Quid est Satisdare tutelæ, aut curæ nomina?*

Stipulanti pupillo, vel alio adolescenti, sive alii, cui de ea re stipulandi jus est, promittere se pupillum, vel adolescentem indemnem præstaturum, datis in eam rem fi-

dejussoribus, qui, quod tutorem ex ea causa præstare oportebit spondeant.

Si Tutores, vel Curatores satisdare noluerint, pignoribus captis coercendi sunt, §. 3. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XXV.

### DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM, vel Curatorum.

*Quid est Excusatio?*

Justæ causæ apud Magistratum allegatio, ad obtinendum a tutela, sive delata, si-ve suscepta immunitatem.

*Quot sunt causæ Excusationum?*

Quatuordecim. 1. Numerus liberorum, trium Romæ, in Italia quatuor, et in Provinciis quinque. *Sever. et Ant. l. 1. C. qui num. lib. se exc.*

2. Rei Fiscalis administratio, et etiam Principis. *Hermog. l. 41. D. de excus.*

3. Absentia Reipublicæ causa. *Gordia, l. 1. C. si tut. vel cur. reip.*

4. Potestas. *Modest. l. 6. §. 16. D. de excus.*

5. Lis cum pupillo, vel adulto, de universis bonis. *Marcian. l. 21. D. de excus.*

6. Tria onera tutelæ, vel curationis non



affectatæ, quartæ tutelæ, vel curationi excusationem præbent. *Modest. l. 2. §. 9. et Ulp. l. 3. D. de excus.*

7. Paupertas, quæ operi, et administrationi tutelæ impar est. *Ulp. l. 7. Paul. l. 40. §. 1. D. de excus.*

8. Adversa valetudo quæ impedimento est, quominus quis suis rebus superesse possit. *Modest. l. 10. §. 8. D. de excus.*

9. Imperitalitterarum juncta imperitiæ negotiorum. *Modest. l. 6. §. ult. D. de excus.*

10. Inimicitia cum Patre pupilli, vel cum ipso pupillo. *Modest. l. 6. §. 17. D. de excus. Ulp. l. 3. §. 12. D. de susp. tut. et cur.*

11. Status controversia a Patre pupilli illata, vel serid, et bona fide illata pupillo. *Modest. l. 6. §. 18. D. de excus. §. 12. Imp. Inst. h. t.*

12. Ætas in majori septuaginta annis. *Modest. l. 2. D. de excus.*

13. Militia, a tutela, et cura: etiam invitosexcludit. *Philip. l. 4. C. qui dar. tut. vel cur.*

14. Professio certarum artium, Grammaticos, Rhetores, Sophistas, Medicos, &c. liberat. *Modest. l. 6. §. 1. D. de excus. Constant. l. 6. C. de profes. et med.*

## TITULUS XXVI.

### DE SUSPECTIS TUTORIBUS, et Curatoribus.

*Quis dicitur Suspectus?*

Qui non ex fide tutelam gerit, licet solvendo sit. Vel potius: Qui moribus talis est ut suspectus sit. *Ulp. l. 8. D. h. t. §. 5. Imp. Inst. h. t.*

*Si suspectus Tutor, vel Curator removeatur, eritne famosus?*

Si ob dolum removeatur, utique; minime verò si ob culpam. *§. 6. Imp. Inst. h. t.*

Quid sit dolus, et culpa; *infra tit. 15. lib. 3.*

FINIS LIBRI PRIMI.

# INSTITUTIONUM

SEU

ELEMENTORUM

## D. JUSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS

LIBER SECUNDUS.

TITULUS PRIMUS.

DE RERUM DIVISIONE, ET ACQUI-  
rendo ipsarum dominio.

*Quid venit hinc nomine Rei?*

Quidquid est extra personam, et actiones,  
quod hominis usui, aut commodo esse pos-  
sit.

*Quomodo dividuntur Res?*

In eas quæ sunt in patrimonio nostro, et  
eas quæ sunt extra patrimonium nostrum.

*Quænam Res sunt in patrimonio nostro?*

Quæ dominio nostro subjici possunt, seu  
quæ sunt in hominum commercio.

*Quænam Res sunt extrâ nostrum patri-  
monium?*

Quæ dominio nostro subjici non possunt, seu  
quæ hominum commerciis exemptæ sunt.

*Quomodo iterum dividuntur Res?*

In Communes, Publicas, Universitatis,  
Nullius, et Singulorum. *Marcian. l. 2. D.  
de div. rer. et qual.*

*Quænam sunt Res Communes?*

Quæ a natura ad omnium usum prodita,  
in nullius adhuc ditionem, et dominium  
pervenerunt, ut aer, aqua profluens, mare,  
et littus maris. *Nerat. l. 14. D. de acq. rer.  
dom. Marcian. ibid.*

*Quid est Aqua profluens?*

Aqua jugis, quæ vel ab imbribus collecta,  
vel e venis terræ scaturiens, perpetuum  
fluxum agit, flumenque, aut rivum peren-  
nem facit.

*Quid est Littus maris?*

Quatenus hibernus fluxus maximus ex-  
currit. *Cels. l. 96. Javol. l. 112. D. de verb.  
sign. §. 3. Imp. Inst. h. t.*

*Quænam sunt Res publicæ?*

Quæ quamvis et ipsæ in nullus domi-  
nium pervenerunt, imperio tamen divisæ  
sunt, et ditione, ac potestate factæ alicujus  
populi; ut flumina, portus, ripæ.

*Quid est esse Publicum juris gentium?*

Commune esse omnibus hominibus.

*Quid est esse Publicum juris gentium?*

Commune esse aliquibus tantum hominibus, quibus jure gentium commune factum est.

*Quidem est flumen?*

Totum quid, unumque et idem corpus, quod mille ab hinc annis fluit.

*Licet in Flumine piscari?*

Utique, cuicumque illius populi cujus fines flumen alluit piscare licet. §. 2. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Lacus?*

Quod perpetuam habet aquam. *Ulp. l. 1. §. 2. D. ut in flum. pub.*

*Quid est Stagnum?*

Quod temporalem continet aquam ibidem stagnantem. *Id. ibid.*

*Quid est Portus?*

Locus in mari, aut flumine conclusus, atque munitus, quo importantur, et unde exportantur merces. *Ulp. l. 59. D. de verb. sign.*

*Quid est Statio?*

Locus accommodatus ad naves recipiendas, ut tuto illic stare possint, adversus injuriam prædonum, et tempestatum. *Ulp. l. 1. §. 13. D. de flumin.*

*Quid est Ripa fluminis?*

Id quod flumen continet, naturalem cursus sui rigorem tenens. *Ulp. l. 1. §. 5. D. de flumin.*

*Quænam sunt Res Universitatis?*

Quæ illis tantum qui ex aliqua sunt universitate communes sunt; ut theatra, stadia, &c.

*Quid est Universitas?*

Collectio multorum hominum uno nomine comprehensa.

*Quænam sunt Res nullius?*

Quæ dicuntur per excellentiam nullius, sunt res divini juris, nimirum sacræ, religiosæ, et sanctæ. *Marcian. l. 6. §. 2. D. de div. rer. et qual.*

*Quænam sunt Res Sacræ?*

Quæ rite per Pontifices Deo consecratæ sunt; ut ædes sacræ, et donaria. *Marcian. l. 6. §. 3. Ulp. l. 9. D. de div. rer. et qual.*

*Aliud est Sacrum, aliud Sacrarium.*

Sacrum est: Quod consecratum est; ut locus, templum, &c. *Ulp. l. 9. §. 2. D. de div. rer. et qual.*

Sacrarium est: Locus in quo sacra reponuntur. *Id. ibid.*

*Quænam sunt Res religiosæ?*

Quæ sepeliendis cadaveribus destinatæ sunt.

*Quisnam est Locus religiosus?*

Locus in quo mortui inferuntur. *Marcian. l. 6. §. 4. D. de div. rer. et qual.*

*Quænam sunt Res sanctæ?*

Quæ ab injuria hominum defensæ, atque munitæ supt. *Marcian. l. 8. D. de div. rer. et qual.*

*Quid sunt Sanctiones?*

Illæ legum species, quibus poena constituitur adversus eos, qui contra leges fecerint.

*Quænam sunt Res singulorum?*

Illæ, quarum dominia variis modis a privatis acquiruntur.

*Quid est Dominium?*

Plena in rem potestas. Sive: Jus de re pro arbitrato statuendi. *Const. l. 21. C. mand. vel cont.*

*Quid est Jus in rem?*

Dominum, usus, usufructus, jura prædiorum, jus possessionis, pignus, sive hypotheca.

*Quid est Jus ad rem?*

Obligatio, seu creditum.

*Quotuplex est Acquisitio?*

Duplex. Alia facto nostro, seu occupatione; alia vi, et potestate rei nostræ.

*Quid est occupatio?*

Apprehensio earum rerum, quæ aut in

nullius fuere dominio, neque de facto dominum habent.

*Quotuplex est vis, ac potestas rei nostræ?*

Duplex. Alia ut quidquid ex re nostra nascatur nostrum sit, quæ generali nomine dici potest foetura; alia ut quidquid rei nostræ accedat, eam, ejusque conditionem sequatur, quæ quidem vocari potest accessio.

*Quid est Venatio?*

Generaliter sumpta est: Ferarum quæ in mari, coelo, et terra vagantur occupatio. Verum specialiter venatio dicitur de quadrupedibus feris, sicut de piscibus, piscatio; et de avibus, aucupium.

*Quænam sunt Feræ bestię?*

Illæ quibus a natura vis infinita insita est libere vagandi in terra, mari, aere.

*Quænam sunt Animalia mansuefacta?*

Quæ consuetudinem habent eundi, et redeundi.

*Quænam sunt Animalia mansuetata?*

Ea quæ natura privatorum dominio addixit, quibusque liberam vagandi facultatem denegavit.

*Pro triplici horum Animalium genere, en tres regulas.*

Feræ bestię, quædiu eas occupaveris tuæ erunt, et non amplius.

Animalia mansueta, quocumque loco sint, tua erunt; numquam alterius occupantis fient.

Animalia mansueta, dum consuetudinem eundi, et redeundi retineant, tua erunt; semel ac eam deperdiderint; cuiuscumque alterius occupantis fient.

*Quid est Inventio?*

Earum rerum quæ natura sua, aut casu nullius sunt, occupatio.

*Quid est accessio?*

Rei alicujus ad alteram adjectio.

*Quisnam est effectus Accessionis?*

Ut rei accessoriaræ fiat dominus ille qui est dominus rei principalis.

*Quot sunt Accessionis species?*

Quatuordecim. Partus animalium, Alluvio, Insulæ vicinitas, Alvei mutatio, Specificatio, Accessio specialiter dicta, Confusio, Commixtio, Ædificatio, Implantatio, Coalitio seu radicum immissio, Satio, Scriptura, Pictura.

Ea quæ ex animalibus nostris nascuntur, statim, et ipso ortu nobis acquiruntur, hocque vi, ac potestate rei nostræ. §. 19. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Alluvio?*

Incrementum latens, quod vi fluminis

ita paulatim alicujus prædio adjicitur, ut intelligi non possit quantum, quoquo temporis momento adjiciatur. *Gaj. l. 7. §. 1. D. de acq. rer. dom.*

Quod per alluvionem prædio nostro adjicitur, nostrum fit. *Gaj. ibid.*

*Quid est Insula?*

Hic est: Terra aquis circumdata.

In mari Insula primi occupantis fit. *Gaj. l. 7. §. 3. D. de acq. rer. dom.*

In flumine fit tripliciter, ut rectè Pomponius, l. 30. §. 2. *D. de acq. rer. dom.*

1. Cum agrum qui alvei non fuit amnis circumfluit.

2. Cum locum aliquem qui alvei esset, siccum relinquit, et circumfluere coepit.

3. Cum paulatim colluendo, locum eminentem supra alveum fecit, eumque alluendo auxit.

Primo modo causa proprietatis non mutatur; duobus posterioribus modis privata insula fit ejus, cujus ager proprius fuerit, cum primum extitit. *Id. ibid.*

*Quid est Alveus?*

Viafluminis, quasi flumen fluere consuevit, Si flumen alveum mutaverit, prior alveus eorum erit qui prope ripas prædia possident, secundum latitudinem quam vic-

nus ager ex parte ripæ, seu prope ripam habeat. § 23. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Inundatio?*

Cum flumen imbris, vel nivibus, vel qua alia ratione auctum in vicinos campos ita se effundit, ut nec ripas, nec alveum suum mutet.

Si ager inundatus fuerit, recedente aqua, erit ejus, cujus ante inundationem fuerat, quia inundatio fundi speciem minime mutat. §. 24. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Specificatio?*

Specie novæ ex alia materia formatio.

Si quis ex propria, et aliena materia novam speciem confecerit, si talis species ad priorem, et rudem materiam reduci possit, naturali ratione, erit ejus cujus antea fuerit; si non possit, ejus qui eam fecerit. *Gaj. l. 7. §. 7. D. de acq. rer. dom.*

*Quid est Accessio specialiter dicta?*

Adjectio quæ alterius rei ornandæ, aut perficiendæ causa fit.

In hac, quidquid alteri rei additur, ut pars ejus fiat, id toto cedit. *Paul. l. 26. §. 1. D. de acq. rer. dom.*

*Quid est Confusio?*

Cum duo materiæ liquidæ inter se, et in unum corpus miscentur.

Si duo materiæ liquidæ inter se, et in unum corpus, dominorum voluntate confusæ fuerint, totum corpus quod ex confusione fiet, utriusque commune erit. §. 27. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Commixtio?*

Cum corpora quæ miscentur discreta manent, et suam singula speciem retinet; ut si frumentum misceatur cum frumento, nummi cum nummis, &c.

*Quid si vinum, vel frumentum Titii, cum vino, vel frumento seji mixtum fuerit?*

Si voluntate eorum hæc mixta fuerint, utrique erunt communia, si verò casu misceantur, vel alter eorum sine voluntate alterius miscuerit, frumentum non erit commune, quia singula grana singulorum in sua substantia durant; vinum verò commune erit utrique, §. 27. et 28. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Ædificatio?*

Symmetrica tigni ad perpetuum usum conjunctio.

Si quis in suo solo ex aliena materia ædificaverit, dominus erit ædificii; minime verò si in alieno solo ex sua materia ædificaverit; quia omne quod solo inædificatur

solo cedit. *Gaj. l. 7. §. 10. et 12. D. de acq. rer. dom. §. 29. et 30. Imp. Inst. h. t.*

Item si quis in suo solo alienam plantam posuerit, vel frumentum severit, ejus erit; si verò suam plantam, vel frumentum in alieno solo posuerit, vel severit, domino fundi acquiretur. *Gaj. l. 7. §. 13. D. de acq. rer. dom. §. 31. et 32. Imp. Inst. h. t.*

Litteræ licet aureæ sint, cartis, membranisve cedunt; minime verò pictura tabulæ, imò verò tabulæ semper picturis cedunt. *Gaj. l. 9. §. 1. et 2. D. de acq. rer. dom. §. 33. et 34. Imp. Inst. h. t.*

#### *Quid sunt Fructus?*

Omnis reditus, omnis obventio, omneque commodum quod ex re nascitur, vel per causam rei percipitur.

#### *Quinam sunt Fructus civiles?*

Qui non ex corpore rei nascuntur, sed extrinsecus per occasionem rei jure percipiuntur.

#### *Quinam sunt Fructus naturales?*

Quos natura ex re ipsa producit.

#### *Quinam sunt Fructus industriales?*

Qui natura adjutrice, facto magis, et hominum industria acquiruntur; qui quia sine hominum industria produci nequeunt, industriales appellantur.

#### *Quis est Fructuarius?*

Qui habet jus utendi fruendi rebus alienis, salva rerum substantia.

#### *Quis est Columus?*

Qui sub certa annua pensione prædium alienum colendum conduxit.

#### *Quis est Bonæ fidei possessor?*

Qui rem alienam possidet quasi suam, ignorans esse alienam.

#### *Quis est Malæ fidei possessor?*

Qui rem alienam possidet quasi suam, sciens esse alienam, seque nullum jus eam possidendi habere.

Si quis fundum alienum bona fide possideat, fructus quos ex eo percipiet, ei pro cultura, et cura adjudicabuntur; secus si mala fide possideat, nam simul cum fundo fructus omnes restituere cogetur. *§ 35. Imp. Inst. h. t.*

#### *Quid est Thesaurus?*

Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. *Paul. l. 31. §. 1. D. de acq. rer. dom.*

*Si quis Thesaurum invenerit, eritne ejus?*

Utique si in suo loco, aut in sacro, religiosoque casu invenerit; si vero in alieno fortuito inveniatur, dimidium ei, et dimi-

diū domino soli pertinebit. §. 39. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Traditio?*

Datio possessionis. *Paul. l. 8. D. de pecul. Alia est Vera, alia Ficta.*

Vera si sit in re mobili est: De manu in manum translatio. Si sit in re soli est: In possessionem inductio.

Ficta est: Quæ commoditatis causa fit, vel brevi manu, vel actu aliquo corporis, aut nota, sive symbolo quod veram traditionem representet.

Quæcumque ex his possessio transfertur.

*Quid est Fictio brevis manus?*

Est Fictio, in qua propter celeritatem conjugendarum inter se actionum, unum, aut alterum actum occultamus. Extat exemplum ex *Ulp. in l. 15. D. de reb. cred.*

*Quid sunt Missilia?*

Variarum rerum donaria, quæ Imperatores, Consules, vel alii Magistratus populo colligenda spargebant.

Hæc primo occupanti acquirebantur, quia eo animo, ut quod quisquis acciperet ejus fieret, eiciebantur. *Gaj. l. 9. §. 7. D. de acq. rer. dom.*

*Quænam est Res pro derelicto habita?*

Res quam dominus ea mente abiecit, ut

in numero rerum suarum esse nolit. §. 46. *Imp. Inst. h. t.*

Primo occupanti acquiritur. *Ibid.*

Res in tempestate levandæ navis causa ejectæ, et quæ de rheda currente cadunt, dominorum permanent. §. 47. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS II.

### DE REBUS CORPORALIBUS, ET Incorporalibus.

*Quænam sunt Res Corporales?*

Quæ sui natura tangi possunt; ut fundus, homo, vestis. *Gaj. l. 1. §. 1. D. de div. rer. et qual.*

*Quænam sunt Res Incorporales?*

Quæ sui natura tangi non possunt. Talia sunt omnia quæ in jure consistunt, videlicet hæreditas, usufructus, servitutes. *Id. ibid.*

Res Corporales mobiles, aliæ ab aliis moventur, ut mensæ, vestes, &c. aliæ per se ipsas moventur, ut boves, equi, &c.



## TITULUS III.

DE SERVITUTIBUS RUSTICORUM,  
et Urbanorum Prædiorum.*Quid est Servitus?*

Jus in re aliena alteri constitutum, quo dominus quod huic alteri commodum sit, aliquid pati in suo, aut in suo non facere cogitur.

Servitus qua vicinus aliquid cogatur facere in sue, ut viridaria, vel arbores tollere, vel parietes pingere ut prospectus amœnior fiat, constitui non potest; servitutum enim natura est ut quis aliquid patiat, aut in suo non faciat, *Pompon. l. 15. §. 1. D. de servit.*

*Quotuplex est Servitus?*

Duplex. Prædialis, siue Realis, et Personalis.

*Quænam est Servitus Prædialis?*

Quæ debetur prædiis. *Marcian. l. 1. D. de servit.*

*Quænam est Servitus Personalis?*

Quæ debetur personis. *Id. ibid.*

*Quotuplex est Prædium?*

Duplex. Rusticum, et Urbanum.

*Quid est Prædium Rusticum?*

Locus ædificii vacuus, ut in urbe area, ruri ager. *Florent. l. 211. D. de verb. sign.*

*Quid est Prædium Urbanum?*

Quod habitandi causa comparatum est, sive rure, sive in urbe sit constitutum.

Prædia Rustica non distinguntur ab Urbanis loco, sed materia, et genere. *Ulp. l. 198. D. de verb. sign.*

*Servitutum aliæ sunt Prædiorum Rusticorum aliæ Urbanorum.*

Servitutes Prædiorum Rusticorum sunt; Quæ prædiis rusticis inhærent; cujus generis sunt iter, actus, via aquæductus, &c. *Ulp. l. 1. D. de serv. præd. rust.*

Servitutes Prædiorum Urbanorum sunt; Quæ prædiis urbanis, seu ædificiis inhærent; ut sunt hæ: Oneris ferendi, tigni immittendi, stillicidii, aut fluminis avertendi, aut non avertendi, altius non tollendi, &c. *§. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Iter, seu Servitus Itineris?*

Jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, vel vehiculum. *Ulp. l. 1. D. de serv. præd. rust. Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Actus, seu Servitus Actus?*

Jus agendi jumentum, vel vehiculum. *Ibid.*

*Quid est Via, seu Servitus Viæ?*

Jus eundi, et agendi, et ambulandi hominis. *Ibid.*

*Quid est Servitus Aquæductus?*

Jus aquæ ducendæ per fundum alienum. *Ibid.*

*Quid est Servitus tigni immittendi?*

Jus trabem, vel tignum immittendi in parietem vicini, ita ut ibi requiescat, et vicini paries sustineat onus immitti, nihil amplius. *Javol. l. 242. §. 1. D. de verb. sign.*

*Quid est Tignum?*

Quæ materia ex qua fiunt ædificia, ut lapides, ligna, terramenta, et similia. *Gaj. l. 62. D. de verb. sign.*

*Quid est Servitus oneris ferendi?*

Jus onera domus suæ in columnam, vel parietem vicini immittendi, ita ut illi vicino onus refectionis incumbat. *Ulp. l. 6. §. 2. et l. 8. §. 2. D. si serv. vind.*

*Quid est Servitus stillicidia avertendi?*

Jus Stillicidia nostra derivandi in ædes, aut aream vicini, ut vicinus stillicidium nostrum recipere cogatur in ædes suas, vel in aream, aut in cloacam. *Vinn. ad §. 1. Imp. Inst. h. t. num. 5.*

*Quid est Servitus stillicidia non avertendi?*

Jus quo vicinus stillicidium ædium sua-

rum in aream, vel cloacam vicini avertere prohibetur; aut non tenetur vicinus stillicidium vicini in suum recipere. *Ibid.*

Idem die de servitute fluminis avertendi, aut non avertendi. *Ibid.*

*Quid est Stillicidium?*

Cum aqua pluvia ex tecto stillatim, et guttatim cadit.

*Quid est Flumen?*

Cum aqua fluxu, et per immam ædium partem more fluminis effunditur.

*Quenam est Servitus altius tollendi?*

Ea qua vicinus prohibetur ædificare ultra certam altitudinem, ne alterius vicini luminibus officiat. *§. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Estne Servitus altius tollendi?*

Utique; sed tantum locum habet ubi lege Civitatis certa ædificiorum altitudo præscripta sit, ibi enim licet cuilibet jure publico usque ad certam altitudinem etsi cum damno, et incommodo vicini ædificare; at si quis ædes suas supra assignatum modum extollere velit, id a vicino impetrare debet, quo concesso jus altius tollendi vicino servitus erit, quia patietur in suo quod antea pati jure publico non cogebatur.

## TITULUS IV.

## DE USUFRUCTU.

Præcipuæ species servitutum personarum, sunt usufructus, usus, et habitatio.

*Quid est Usufructus?*

Jus alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia. *Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Quotuplex est Usufructus?*

Duplex. Formalis, et Causalis.

Formalis est: Qui est separatus a proprietate.

Causalis est: Qui est alicujus jure proprietatis.

*Quibus modis constituitur Usufructus?*

Testamento, Pactionibus, et Stipulationibus. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

Potest in qualibet re Usufructus constitui, exceptis iis quæ ipso usu consumuntur. §. 2. *Imp. Inst. h. t.*

*Quibus modis finitur Usufructus?*

Variis modis, scilicet morte usufructuarii, duabus capituli deminutionibus maxima, et media, et non utendo per modum, et tempus. §. 3. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS V.

## DE USU, ET HABITATIONE.

*Quid est Usus?*

Jus alienis rebus utendi salva rerum substantia.

Usus constituitur, et finitur iisdem modis, quibus constituitur; et finitur usufructus.

*Quid est Habitatio?*

Jus in ædibus alienis habitandi cum personis quoquomodo ad nos pertinentibus.

Potest quamoptime habitatio vendi, locari, gratisve concedi. §. 5. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS VI.

DE USUCAPIONIBUS, ET LONGI  
temporis præscriptionibus.

*Quid est Usucapio?*

Adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti. *Modest. l. 3. de usurp. et usuc.*

Præcipua usucapionis requisita sunt: bona fides, possessio per tempus definitum continuata, et justus titulus.

*Quid est Bona fides?*

Cum quis existimat eum a quo rem accipit dominum esse, et jus transferendi dominium habere, ut proinde opinetur se quoque statim dominum effectum esse. *Modest. l. 109. D. de verb. sing.*

Sufficit ad usucapionem, bona fide ab initio rei possessionem nancisci.

*Quodnam tempus definitum est ad res usucapiendas?*

Si res sit mobilis, triennium, si immobilis, decennium inter praesentes, et vicennium inter absentes. *Justin. l. unic. C. de usue. trans. Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Potest quaelibet res usucapi?*

Minime. Quamplurimae sunt res quae usucapi non possunt. Pro quo sciendum est, res alias esse talem naturae, ut a nemine acquiri, et nullius in bonis subijci possint; et consequenter neque usucapi; ut homo liber, res sacrae, religiosae, sanctae, &c. alias vero quae cum sint in bonis, et acquiri, possint, usucapi tamen non possunt, lege earum usucapionem prohibente; ut sunt ex. gr. Res Fisce, res dominicae, res minorum xxv. ann. *Modest. l. 18. D. de usurp. et usuc. Valent. Theod. et Arcad. l. 2. C. ne rei dom. vel temp. vind. Dioc. et Max. l. 1. C. de serv. fugit.*

## TITULUS VII.

## DE DONATIONIBUS.

*Quid est Donatio?*

Cum quid nullo cogente conceditur. *Paul. l. 29. D. de donat.*

*Quotuplex est Donatio?*

Duplex. Alia mortis causa, alia inter vivos.

*Quenam est Donatio mortis causa?*

Quae propter mortis sit suspicionem. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

In donatione mortis causa fieri debet mentio mortis, vel imminentis periculi; alias enim pura, et simplex esset donatio, et pro donatione inter vivos haberetur, etiamsi fieret ab eo qui in extremis constitutus esset.

*Quenam est Donatio inter vivos?*

Quae sine ulla mortis cogitatione fit: haecque est mera, absoluta, et vera donatio. §. 2. *Imp. Inst. h. t. Paul. l. 35. §. 2. D. de don. mort. cau.*

*In quo differunt Donatio inter vivos, et Donatio mortis causa?*

In eo quod Donatio inter vivos statim perfecta sit, et effectum sortiat; Donatio

vero mortis causa solummodo morte, vel imminente periculo confirmetur. Deinde inter vivos non licet donare ultra quingentos solidos absque insinuatione, mortis vero causa quantum libuerit sine insinuatione donare permittitur. Item Donatio mortis causa revocatur sola poenitentia Donatarii; Donatio vero inter vivos minime revocari potest. §. 1. et 2. *Imp. Inst. h. t.*

Quinque tantum casus in quibus revocari potest Donatio inter vivos a Justiniano l. 10. *C. revoc. donat.* assignantur. Si nimirum ita Donatarius ingratus erga Donatorem fuerit, ut.

1. Atroces injurias in Donatorem effuderit.
2. Donatori impias manus intulerit.
3. Vitæ Donatoris insidiatus fuerit.
4. Grandem jacturæ molem substantiæ, et bonis damnatoris ingesserit.
5. Conventiones donationi appositæ minime implere voluerit.

*Quænam est Donatio propter nuptias?*

Quæ a parte mariti in uxorem, vel sponsi in sponsam confertur in securitatem dotis, et quasi remunerandæ dotis causa.

*Quid est Dos?*

Donatio nomine uxoris in maritum colla-

ta ad onera matrimonii sustinenda. *Diocl. et Max. l. 20. C. de jur. dot.*

## TITULUS VIII.

QUIBUS ALIENARE LICET, VEL non licet.

*Quid est Alienatio?*

Actus per quem dominium transfertur. *Sever. et Ant. l. 1. C. de fund. dor.*

Maritus prædium dotale adhuc uxore consentiente alienare non potest, licet ipse revera prædii dotalis sit dominus. Hocque factum ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum convertatur.

*Licet Creditori pignoralitio pignus distrahere, aut alienare?*

Licet; si nihil convenierit de eo distrahendo, vel si convenierit initio, aut postea de eo distrahendo; minime vero licet si de non distrahendo convenierit. *Ulp. l. 4. de pigner. act.*

PER QUAS PERSONAS CUIQUE  
acquiritur.

*Per quas personas dominium acquiremus?*

Non solum per nosmet ipsos, sed etiam per liberos, et servos quos in potestate habemus. Item per servum alienum in quo habemus usumfructum. Item per homines liberos, et per servos alienos quos bona fide possidemus. *Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Quid acquirit Pater per filium quem in potestate habet?*

Proprietatem, et usumfructum peculii profectitii, et usumfructum tantum peculii adventitii.

*Quid est Peculium filii familias?*

Quidquid filius familias habet, sive concessione Patris, sive partum suo labore, aut aliena liberalitate collatum.

*Quotuplex est Peculium filii familias?*

Duplex. Militare, quod dividitur in Castrense, et Quasi Castrense; et Paganum quod dividitur in Profectitium, et Adventitium.

*Quid est Peculium Castrense?*

Quod per occasionem armatæ militiæ filius sibi acquisivit.

*Quid est Peculium quasi Castrense?*

Quod filius in toga operam Reipublicæ navans paravit.

*Quid est Peculium Profectitium?*

Quod a Patre sive contemplatione Patris ab alijs ad filium proficiscitur.

*Quid est Peculium Adventitium?*

Quod aliunde filio obvenit, sive id laboribus suis acquisivit extrâ causam armatæ, aut togatæ militiæ, sive prospera fortuna ei accessit.

Peculii castrensis, et quasi castrensis habet filius familias proprietatem, et usumfructum, et de eo disponere potest non secus ac si pater familias esset. *Papin. l. 12. D. Alex. l. 1. C. de castr. pecul.*

Peculii profectitii Pater habet proprietatem, et usumfructum. *§. 1. Imp. Inst. h. t.*

Peculii Adventitii Pater habet usumfructum, filius proprietatem. *Ibid.*

*Quid acquirit Dominus per Servum?*

Omnia; quia servus nihil habet proprium, sed quidquid acquirit, acquirit suo domino. *§. 3. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Peculium Servi?*

Quod servus domini permissu separatim a rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur. *l. 5. §. 4. D. de pecul.*

*Quinam sunt modi acquirendi per universitatem?*

Hæreditas, Bonorum possessio, Adrogatio, Addictio libertatum conservandarum causa. §. 7. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Hæreditas?*

Universum illud jus quod defuncto, vel in defunctum tempore mortis ejus compete-  
tebat.

Melius, et brevius: Cumulus honorum, et onerum Defuncti.

*Quomodo defertur Hæreditas?*

Ex testamento, et ab intestato, Unde hæ-  
redes alii sunt testamentarii, alii legitimi.

## TITULUS X.

### DE TESTAMENTIS ORDINANDIS.

*Quid est Testamento?*

Juxta Modest. l. 1. *D. h. t.* est: Volunta-  
tis nostræ justa sententia, de eo quod quis  
post mortem suam fieri velit.

Juxta Ulp. *in fragm. tit. 20. §. 1.* est: Men-  
tis nostræ justa contestatio in id solemniter  
facta, ut post mortem nostram valeat.

Aptius est Suprema contestatio in id so-  
lemniter facta, ut quem volumus post mor-

tem nostram habeamus hæredem. *Vinn. ad  
Prin. Imp. Inst. h. t. num. 2.* quia legata ad  
testamenti substantiam non pertinet. *Ulp.  
l. 1. §. 3. D. de hæred. inst.*

*Quotuplex est Testamentum?*

Duplex. Aliud proprium Civium Roma-  
norum, quod Paganicum appellatur; aliud  
proprium Militum, quod dicitur Militare.

Nomine testamenti simpliciter in toto  
jure venit Paganicum.

*Quid inspiciendum est, ut Paganorum  
testamenta recta sint?*

Persona testantis, Forma testandi et  
modus, et res quas testamentum necessa-  
rio complecti debet. *Gaj. l. 4. D. qui test.  
fac. pos.*

*Quænam solemnitates in testamentis  
requiruntur?*

Ut septem testes adhibeantur, ut hi tes-  
tamentum subscribant, et signent, et ut fiat  
unico contextu: quibus addidit Justinianus  
hanc aliam, ut per manus testatoris, vel tes-  
tium, nomen hæredis exprimeretur; quam  
postea sustulit. *Novel. 119. cap. 9. et §. 3.  
et 4. Imp. Inst. h. t.*

*Quinam possunt esse testes in testamento?*

Illi cum quibus testamenti factio est. Id  
est: Illi qui possunt institui hæredes. Verum

excipiuntur ab hac regula servi, foeminae, impuberes, furiosi, muti, surdi, prodigi, quibus omnibus honorum administratio interdicta est. §. 6. *Imp. Inst. h. t.*

*Quodnam est Testamentum scriptum, seu solemne?*

Illud ad cuius substantiam, et perfectionem scriptura exigitur.

*Quodnam est Testamentum nuncupatum?*

Illud quod fit sine scriptura, septem testibus adhibitis, et voluntate coram eis nuncupata. §. 14. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XI.

### DE MILITARI TESTAMENTO.

*Quid est Militare Testamentum?*

**H**ic est: Illud quod a Milite factum est in expeditione, jure Militum proprio.

*Potest Miles sine testium adhibitione testamentum condere?*

Utique potest; et quamvis nullam testamentorum solemnitatem observaverit, rectè testabitur dum in expeditione sit.

Item etsi vagina, pulvere, humo, vel clipeo pro tabula, notis pro litteris, san-

guine pro atramento, et ense pro calamo utatur, rata habebitur ejus voluntas. *Paul. l. 40. D. et Const. l. 15. C. de test. mil.*

Mutus, et surdus Miles, si non sit a natura, sed morbo aliquo superveniente mutus, et surdus, potest testamentum facere modo sciat scribere. *Justin. l. 10. C. qui test. fac. pos.*

## TITULUS XII.

### QUIBUS NON EST PERMISSUM facere testamentum.

**T**estamentum facere possunt omnes paterfamilias qui legibus non prohibentur.

*Quando paterfamilias testamentum facere non potest?*

Si sit impubes, quia nullum in eo animi iudicium est, nec creditur posse sapientum hominum jura pertractare. *Justin. l. 18. C. de test. mil.*

Si sit furiosus, quia mente caret. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

Si sit Prodigus, quia ei bona interdicta sunt, ad exemplum Furiosi. *Ulp. l. 1. D. de cur. fur.*

Si sit Surdus, quia verba testimonium



perhibentium audire non potest §. 3. *Imp. Inst. h. t.*

Si sit Mutus, quia testes rogare non potest. *Ibid.*

Filiusfamilias testamentum facere non potest, quia qui alieno juri subjectus est, testamenti faciendi jus non habet.

*Et si Pater hoc illi permittat?*

Minime poterit, quia testamenti factio non privati, sed publici juris est. *Papin. l. 3. D. qui test. fac. pos.* Hoc est, jus testamenti faciendi non privatorum auctoritate, sed jure publico, et legibus cuique tribuitur.

*Captus ab hostibus potest testamentum facere?*

Minime, dum est captus: si vero antea fecisset, valet, vel jure postliminii si redierit, vel beneficio legis corneliæ, si apud hostes decesserit. *Paul. recep. sent. lib. 3. tit. 4. §. 8. Ulp. in fragm. tit. 23. §. 5.*

### TITULUS XIII.

#### DE EXHÆREDATIONE LIBERORUM.

*Quid est Exhæredare?*

**F**um, qui alicui hæres futurus erat, ab hæreditate repellere.

*Quid est Præteritio?*

Prætermissio institutionis, vel exhæredationis.

*Debent Liberi testamento nominatim institui, vel exhæredari?*

Jure veteri, filii sive naturales, sive adoptivi, dum erant in potestate; posthumi, quasi posthumi, nepotes, &c. nominatim instituendi, vel exhæredandi erant; minime vero filii emancipati, vel foemini sexus personæ. *Prin. tit. §. 1. 2. et 4. Imp. Inst. h. t.*

Jure novo, filii et filiæ, et cæteri descendentes per virilem sexum, sive nati, sive posthumi, sive sui, sive emancipati, nominatim institui, vel exhæredari debent. *Justin. l. 4. C. de lib. præter.*

*Quinam sunt Posthumi?*

Qui post mortem Patris nascuntur. *Ulp. l. 6. D. de inof. test. l. 3. §. 1. D. de inj. rup. et irr.*

Improperie autem quilibet dicuntur Posthumi, qui post testamentum factum nascuntur.

*Quinam sunt quasi Posthumi?*

Qui in sui hæredis locum succedendo, quasi agnascendo, fiunt Parentibus sui hæredes. *§. 2. Imp. Inst. h. t.*

Causæ justæ ingratiitudinis, quibus rite a Parentibus filii exhæredari possunt, quatuordecim a Justiniano in Novel. CXV. Cap. III. assignantur; nimirum.

1. Si quis Parentibus suis manus intulerit.
2. Si gravem, et inhonestam injuriam eis ingesserit.
3. Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ sunt adversus Principem, vel Rempublicam.
4. Si cum maleficis hominibus ut maleficus versatur.
5. Si vitæ Parentum suorum per venenum, aut alio modo insidiari tentaverit.
6. Si Novercæ suæ, aut Concubinæ Patris filius sese immiscuerit.
7. Si delator (id est calumniator) contra Parentes filius extiterit, et per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere.
8. Si pro Patre in carcerem coniecto fidejuberè noluerit.
9. Si prohibuerit Parentes suos testamentum condere.
10. Si præter voluntatem Parentum inter arenarios, vel mimos sese filius sociaverit, nisi forte Parentes ejusdem professionis fuerint.

11. Si filia Parenti volenti eam in matrimonium collocare, et dotem constituere, non consenserit, sed luxuriosam vitam degere maluerit, nisi forte Parentes ejus matrimonium usque ad 25. annos completos distulerint.

12. Si Patri furioso obsequium, et curam competentem filius non præbuerit.

13. Si Patrem in captivitate detentum non redemerit.

14. Si Pater orthodoxus constitutus, filium non esse Catholicæ Fidei senserit.

## TITULUS XIV.

### DE HÆREDIBUS INSTITUENDIS.

*Quid est Hæredem instituere?*

Scribere, vel nuncupare testamento, quem sibi quis bonorum, et universi juris successorem velit.

*Quis est Hæres?*

Ille qui succedit in universum jus quod defunctus habuit tempore mortis. *Papin. l.*

11. *D. de div. et temp. præes.*

*Quinam possunt hæredes institui?*

Liberi, et servi, sive proprii, sive alieni,

sive hæreditarii, sive communes. *Prin. tit. §. 1. 2. et 3. Imp. Inst. h. t.*

Servus proprius hæres institutus, fit ex testamento liber, et hæres necessarius suo domino. *§. 1. Imp. Inst. h. t.*

Servus communis ab extraneo hæres institutus, unicuique dominorum, cujus jussu adiit, proportionem dominii hæreditatem acquirit. *§. 3. Imp. Inst. h. t.*

*Quot sunt partes in quas dividi solet hæreditas?*

Duodecim. Uncia, Sextans, Quadrans, Triens, Quincunx, Semis, Septunx, Bes, Dodrans, Dextans, Deunx, As. *Ulp. l. 50. §. 2. de hæred. inst.*

Hic nomine Assis, venit tota hæreditas.

Uncia est duodecima pars Assis.

Sextans sunt duæ Unciæ. Sic vocatur quia est sexta pars Assis.

Quadrans sunt tres unciæ. Sic dicitur quia est quarta pars Assis.

Triens sunt quatuor unciæ. Ita dictus, quia est tertia pars Assis.

Quincunx sunt quinque unciæ.

Semis sunt sex unciæ, seu media pars Assis.

Septunx sunt septem Unciæ.

Bes sunt octo Unciæ. Vocatur Bes quasi bis triens.

Dodrans sunt novem Unciæ. Sic appellatur, quia deest illi quadrans ut sit totus As.

Dextans sunt decem Unciæ. Sic dictus quia deest illi sextans ad hoc ut sit totus As.

Deunx sunt undecim Unciæ. Nomen habet ab eo quod ipsi deest Uncia ut sit totus As.

As sunt duodecim Unciæ, seu tota hæreditas.

*Potest Hæres institui sub conditione?*

Utique potest. Sed si conditio deficiat, institutio evanescit; sicuti evenit in stipulatione, et emptione. *Paul. l. 8. D. de per. et com. rei vend. §. 9. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Conditio?*

Adjectio, quæ actum aliquem in futurum eventum suspendit.

*Quotuplex est Conditio?*

Duplex. Casualis, et Potestativa.

Casualis est: quæ pendet ab aliquo eventu, ut hæc: Si navis ex Assia venerit.

Potestativa, vel pendet ab arbitrio hæredis, ut hæc: Titius hæres esto decem dederis Sempronio. Vel pendet ab arbitrio tertii alicujus, ut hæc: Cajus hæres esto, si Sejam in uxorem duxeris.

*Potest hæres institui sub conditione impossibili?*

Utique potest. *Ulp. l. 1. D. de cond. inst.*

Quia conditio impossibilis adjecta institutioni hæredis, evanescit, ac si scripta non esset. *Ulp. l. 6. Labeo l. 20. D. de cond. inst. Conditiones aliæ sunt natura, aliæ juræ, aliæ ex supositione impossibiles.*

Conditiones natura impossibiles, sunt illæ quibus natura impedimento est quominus existant, ut hæc: Si digito Coelum tetigeris; si maris aquas ebiberis.

Conditiones jure impossibiles, sunt quæ pugnant cum bonis moribus, vita, et honestate alicujus, ut hæc: Si sacrilegium commiseris; si per Civitatem nudus ambulaveris.

Conditiones impossibiles ex supositione, sunt quæ cum initio impossibiles non sint, tractu temporis, casu, aut facto aliquo fiunt impossibiles; ut hæc: *Titius hæres esto si Sejam in uxorem duxeris*; et Seja antequam matrimonium contrahat cum Titio moriatur; Titius enim non potest Sejam, quam antea poterat, post ejus mortem in uxorem ducere.

## TITULUS XV.

## DE VULGARI SUBSTITUTIONE.

*Quid est Substitutio?*

Secundo, vel ulteriori gradu facta Institutio. *Modest. l. 1. D. de vul. et pup. subs.*

*Quotuplex est Substitutio?*

Duplex. Directa, et Fideicommissaria.

*Quænam est Directa?*

Quæ fit verbis directis, et civilibus.

*Quænam est Fideicommissaria?*

Quæ fit verbis precariis.

*Quænam est Substitutio Vulgaris?*

Quæ cuivis a quovis testatore fieri potest in hunc casum, si priori gradu institutus hæres non erit; ut ista: *Titius mihi hæres esto, si Titius mihi hæres non erit, Sempronius hæres esto.*

Possunt quamoptime singuli singulis, plures pluribus, plures, unus, et pluribus unus substitui. *§. 1. Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XVI.

## DE PUPILLARI SUBSTITUTIONE.

*Quænam est Substitutio Pupillaris?*  
 Quæ a Parentibus fit liberis impuberibus, quos habent in potestate, in hunc casum, si filius institutus hæres erit, et intra pubertatem decesserit.

*Quænam est Substitutio Exemplaris?*  
 Quæ fit a Parentibus liberis furiosis, aut mentecaptis, sub ea conditione, si decesserint ante recipiscentiam.

*Quomodo finitur Pupillaris Substitutio?*  
 In masculino si xiv. annos, in foemina si xii. impleverit; nam ab hac ætate ipsis jam testari licet. *Ulp. l. 5. D. qui test. fac. pos. §. 8. Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XVII.

## QUIBUS MODIS TESTAMENTA infirmantur.

*Quomodo infirmantur Testamenta?*  
 Ipso jure, si rumpantur, vel irrita fiant. *Ulp. in fragm. tit. 23. §. 1.*

Officio Judicis, per querelam inofficiosi,

vel per bonorum possessionem contra tabulas.

*Quando rumpitur Testamentum?*

Cum in eodem statu manente Testatore, ipsius Testamenti jus vitatur. *§. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Quibus modis rumpitur Testamentum?*  
 Agnitione sui hæredis, et posteriori Testamento, jure ordinato, et perfecto. *Ulp. in fragm. tit. 23. §. 2. et 3. §. 1. et 2. Imp. Inst. h. t.*

*Quomodo fit irritum Testamentum?*

Si Testator quacumque capitis deminutione minutus fuerit, vel si nemo hæres extiterit, *Ulp. in fragm. tit. 23. §. 4. et Papin. l. 1. D. de inj. rup. et irr. §. 4. Imp. Inst. h. t.*

*Quomodo erit imperfectum Testamentum?*

Si necessariis juris solemnibus destitutum sit; maxime si subscriptum, et signatum non fuerit.

## TITULUS XVIII.

## DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

*Quodnam est Testamentum inofficiosum?*

Illud in quo Testator contra officium quod alteri debebat, facit.

Per excellentiam Testamentum illud inofficiosum dicitur, quo officium in liberos; Parentes, et fratres neglectum est: seu in quo liberi, Parentes, aut fratres, vel exhæredati sunt immeritò, vel immeritò præteriti.

*Quid est Quærela inofficiosa?*

Officii Judicis imploratio, qua Testamenti alicujus velut inofficiosi rescisio postulatur: fitque hoc colore, quasi Testator non sanæ mentis fuisset, dum testamentum ordinavit. *Marcian. l. 2. D. de inoff. test. Quinam possunt Testamentum de inofficioso arguere?*

Primo, Liberi testamentum Patris; secundo, Patres testamentum filiorum; tertio, fratres, et sorores testamentum fratris, si turpi personæ postpositi fuerint. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

Non quilibet Frater aut Soror potest testamentum fratris inofficiosum accusare, sed tantum possunt germani, aut consanguinei, minime verò uterini. *Constant. l. 27. C. h. t.*

Qui sint fratres germani, consanguinei, &c. *infra tit. 6. lib. 2. de grad. cogn.*

*Quænam est Persona turpis?*

Quæ ve. turpitudinis, vel infamæ, vel

levis notæ macula aspergitur. *Constant. l. 27. C. h. t.*

Cognati ultra fratrem non possunt testamentum inofficioso accusare. *Ulp. l. 1. D. h. t.*

Qui testamentum inofficiosum accusant, debent esse immeritò præteriti, aut exhæredati. *Prin. Imp. inst. h. t.* Nam. ex justis causis permessa est exhæredatio. *Paul. l. 7. D. de bon. damn. Justas causas, vide supra tit. 13. huj. lib.*

*Quomodo cessabit quærela inofficiosa?*

Si cui quarta legitimæ partis in testamento relicta fuerit, vel particula alicua Assis, etsi minima; nam in hoc casu, quod deest ad portionem legitimam, petere, et consequi querela quiescente poterit. §. 6. *Imp. Inst. h. t. Novel. 115. cap. 5. in prin.*

*Qui est Quarta Legitima?*

Certa pars personis debita ab intestato, idest certa pars ejus quod quisque habiturus fuisset, si Testator decessisset intestatus.

*Quota pars Hæreditas est legitima?*

Semis, si liberi sunt plures quam quatuor; triens, si non sint plures liberi quam quatuor. Vide in his versibus.

Quatuor, aut infra dant natis jura trientem.

Semissēm vero fuerint si quinque, vel ultra.

### TITULUS XIX.

#### DE HÆREDUM QUALITATE, ET differentia.

*Quotuplices sunt Hæredes?*

**T**riplices. Necessarii, Sui et necessarii et Extranei.

*Quisnam est Hæres necessarius?*

Servus a domino in testamento hæres institutus; qui quidem dicitur necessarius, quia sive velit, sive nolit, omnino post mortem Testatoris profinus liber, et necessarius hæres fit. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

*Quisnam est Hæres suus, et necessarius?*

Liber defuncti, qui quo tempore is moritur, in potestate ejus est, primumque ab eo locum in familia obtinet.

*Cur dicitur Suus?*

Quia domesticus hæres est, et vivo quoque Patre, quodammodo dominus existimatur.

*Cur dicitur Necessarius?*

Quia sive velit, sive nolit, tam ab intestato, quam ex testamento, ex lege XII. Tab. hæres fit.

*Quisnam est Hæres extraneus, seu voluntarius?*

Qui testatoris juri subjectus non est, et ex cujus arbitrio pendet adire, vel repudiare hæreditatem. §. 3. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Jus deliberandi?*

Potestas hæredibus data, de adeunda, vel repudianda hæreditate. §. 5. *Imp. Inst. h. t.*

### TITULUS XX.

#### DE LEGATIS.

*Quid est Legatum?*

**D**onatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præstanda. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

*Antiquitus quatuor erant Legatorum genera, vide licet.*

Per vindicationem, quo sic legabatur: Do, lego, capito, sumito, tibi habeto, vindicato.

Per damnationem, quo legabatur ita: Hæres meus damnas esto dare, vel facere, dato, facito, hæredem meum dare jubeto.

Sinendi modo, quod ita fiebat: Hæres meus damnas esto sinere L. Titium sumere illam rem, sibi que habere.

Per præceptionem, cujus hæc erat for-

mula: Lucius Titius mihi ex parte hæres, illam rem præcipito, aut præcipuam habeto.

Sustulit Justinianus hæc quatuor legandi genera, omniumque legatorum voluit unam esse naturam, unam omnium vim, unumque effectum. *l. 1. C. comm. de leg.*

*Quænam actiones dantur pro legatis?*

Rei vindicatio, actio hypothecaria, et actio personalis ex quasi contractu. *Ibid.*

*Quid est Rei vindicatio?*

Actio in rem, qua quis petit se dominum alicujus rei declarari, et eam sibi tamquam domino restitui a quocumque possessore, aut detentore.

*Cur Legatarii habent Actionem hypothecariam?*

Quia omnia bona defuncti, sunt ipsis tacite, seu ipso jure obligata.

*Cur Legatarii habent Actionem personalem?*

Quia hæres adeundo hæreditatem censetur contrahere cum Legatariis ex quasi contractu.

*Possunt legari res quæ non sunt?*

Utique. Possunt quamoptime legari fructus qui ex fundo nascentur, quod ex ancilla natum erit, &c. *Pomp. l. 1. §. 3. D.*

*de cond. et dem. et l. 24. D. de leg. 1.*

*Quid est Jus accrescendi?*

Id quo deficientium hæredum ejusdem hæreditatis, aut collegatariorum ejusdem rei, portiones accrescunt iis qui suam portionem agnoverunt.

Tribus modis fiunt Collegatarii, seu Legatarii junguntur, nimirum: Re et verbis, re tantum, et verbis tantum.

Re et verbis conjunguntur illi quibus res eadem, eadem oratione legatur. Sic: Titio et Sejo fundum tusculanum do lego.

Re tantum conjunguntur illi quibus eadem res diversa oratione legatur. Hoc modo: Titio fundum tusculanum do lego; Sejo eundem fundum tusculanum do lego.

Verbis tantum conjunguntur illi qui sola verborum conceptione junguntur, v. g. Titio, et Sejo fundum tusculanum ex æquis partibus do lego.

*Si quis rem Legatarii eidem legaverit, erit inutile Legatum?*

Utique; quia quod nostrum est, nostrum amplius fieri non potest. *§. 10. Imp. Inst. h. t. §. 14. Imp. Inst. de action.*

*Si debitor creditori suo quod debet legaverit, erit utile legatum?*

Minimè, si plus non sit in legato quam



in debito ; si verò plus sit in legato quam in debito , utile erit.

Si ancilla cum liberis legata fuerit , ea mortua , liberorum legatum non extinguitur , quia in hoc casu duo sunt legata separata , hæc est æque principalia. *Paul. l. 62. Cels. l. 63. D. de leg. 1. §. 17. Imp. Inst. h. t.*

Idem erit si Servus Ordinarius cum Vicario legetur. §. 17. *Imp. Inst. h. t.*

*Quis est Servus Ordinarius ?*

Qui in alterius servi peculio non est ; seu qui domino suo immediate subicitur.

*Quis est Servus Vicarius ?*

Qui in alterius servi peculio est. *Ulp. l. 17. D. de pecul.*

*Quid est Cedere diem legati ?*

Est legatum incipere deberi quoad transmissionem. *Ulp. l. 213. D. de verb. sign.*

*Quid est Venire diem legati ?*

Est venire diem quo legatum peti possit. *Id: ibid.*

*Possunt legari quæcumque Res ?*

Utiquè. Non modo res corporales , ut fundus , vestis , aureum , &c. sed etiam res incorporales , ut usus , usufructus , servitutes , &c. legari possunt. *Ulp. l. 41. D. de leg. 1.*

*Quibus personis legari potest ?*

Iis tantummodo cum quibus testamenti factio est.

*Potest Posthumus alienus hæres institui ?*

Potest quamoptime , nisi in utero ejus sit , quæ jure nostro uxor esse non potest. §. 28. *Imp. Inst. h. t.*

*Quotuplex est Posthumus ?*

Duplex. Suus , et Alienus.

*Quis est Posthumus Suus ?*

Qui naceretur testatori suus hæres. Hoc est : Qui si vivo testatore nasceretur , in potestate ejus esset , et primum ab eo gradum in familia obtineret.

*Quis est Posthumus Alienus ?*

Qui natus , inter suos hæredes testatori futurus non est. Hoc est : qui si vivo testatore nasceretur , in potestate ejus non esset , nec primum ab eo gradum in familia obtineret.

*Potest quid pœnæ nomine legari ?*

Utique. Hocque ex Justiniani constitutione , in *l. unic. C. de his quæ pœnæ nom.*

*Quid dicitur , pœnæ nomine legari ?*

Quod coercendi hæredis causa relinquitur , quo magis aliquid faciat , aut non faciat. §. 36. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XXI.

DE ADEPTIONE LEGATORUM,  
et Translatione.

**D**uobus modis legata recte ab initio instituta, infirmantur, videlicet: Ademptione, et Translatione.

*Quid est Ademptio legatorum?*

Revocatio eorum quæ testamento data sunt, per declarationem contrariæ voluntatis.

*Quid est Translatio legatorum?*

Eorum quæ testamento relicta sunt, mutatio, per diversam testatoris voluntatem.

*Quomodo transferuntur legata?*

Primò, ab una re ad aliam, sic: Loco fundi quem Titio legavi, lego ei domum.

Secundò, ab uno legatario ad alterum, ita: Quod Sejo legavi, lego Titio.

Tertiò, ab uno hærede ad alium, hoc modo: Legatum quod dixi Mevio hæredi meo ut solveret, volo ut solvat hæres meus Sempronius.

Quartò, ab uno modo ad alterum, ita: Quod Sejo pure legavi, lego ei sub conditione quod navis ex Assia venerit.

## TITULUS XXII.

## DE LEGE FALCIDIA.

*Quid est Lex Falcidia?*

Lex qua cavetur, ne plus legare liceat quam dodrantem totorum bonorum.

*Quid est Quarta Falcidia?*

Quarta pars hæreditatis, quam retinere potest hæres qui ultra dodrantem gravatus est legatis.

Pro hac quarta retinenda, expectanda est quantitatis patrimonii, tempore mortis testatoris, non verò tempore aditæ hæreditatis. § 2. *Imp. Inst. h. t.*

*Cur introducta fuit Quarta Falcidia?*

In favorem testatorum, ne deficeret qui hæreditatem adiret.

## TITULUS XXIII.

DE FIDEICOMMISSARIIS HÆRE-  
ditatibus.

*Quid est Fideicommissum?*

**Q**uod non civilibus verbis, sed precativè relinquitur. *Ulp. in fragm. tit. 25. §. 1.*

*Quotuplex est Fideicommissum?*

Duplex. Universale, et Particulare.

*Quid est Fideicommissum Universale?*

Quod totam hæreditatem, vel partem ejus continet.

*Quid est Hæreditas Fideicommissaria?*

Hæreditas subjecta fideicommisso, aut restitutioni.

*Quid est Senatusconsultum Trebellianum?*

Est Senatusconsultum quo cavetur, ut si hæreditas ex fideicommissi causa restituta sit, omnes actiones, quæ jure ei vili hæredi, et in hæredem competere, ei, et in eum dentur, cui ex fideicommisso restituta est hæreditas. §. 4. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Senatusconsultum Pegasianum?*

Est Senatusconsultum quod statui, ut ei, qui rogatus esset hæreditatem restituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis conceditur. Hocque factum, ut hæres spe quadam lucrari, et alicujus emolumenti gratia, ad adeundam hæreditatem, et fideicommissario restituendam alliceretur. §. 5. *Imp. Inst. h. t.*

Postea vis omnis Senatusconsulti Pegasiani, in Senatumconsultum Trebellianum transfusa fuit. §. 7. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XXIV.

DE SINGULIS REBUS PER FIDEICOMMISSUM RELICTIS.

*Quid est Fideicommissum Particulare, seu Singulare?*

Illud quod non tota hæreditas, aut pars ejus, sed res singulæ, et determinatæ relinquuntur.

Verba fideicommissorum, sunt hæc: *Peto, rogo, volo, mando, fidie tuæ committo.* §. 3. *Imp. Inst. h. t.*

*Potest Testator res alienas per Fideicommissum relinquere?*

Potest utique testator, non solum res proprias, sed et hæredis, aut legatarii, aut cujuscumque alterius, per fideicommissum relinquere. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

*Potest Servo libertas per Fideicommissum relinquere?*

Utique, et non solum servo proprio, sed etiam alieno.

Hic Servus cui libertas per fideicommissum relinquitur, erit libertus ejus qui eum manumittet, non testatoris, seu Orcinus.

*Quis est Libertus Orcinus?*

Qui directo testamento liber esse iubetur; ita dictus, quia non habet alium patronum, quam testatorem qui in orco est. *Vinn. ad §. 2. Imp. Inst. h. t. num. 1.*

## TITULUS XXV.

### DE CODICILLIS.

*Quid sunt Codicilli?*

Supremæ voluntatis testatio, minus solemnis testamento.

*Quot sunt Codicillorum genera?*

Duo. Alii Codicilli sunt scripti, alii non scripti.

*Quinam sunt Codicilli scripti?*

Illi in quibus voluntas scribitur.

*Quinam sunt Codicilli non scripti?*

Illi in quibus voluntas nuncupatur.

*Possunt Codicilli ab intestato confici?*

Ita. Et qui fiunt ab intestato, suis viribus nituntur, et vicem testamenti exhibent.

*In quo differunt Codicilli a Testamento?*

In eo quod in Codicillis hæres non instituitur, et in testamento institui debet. Deinde quia in Codicillis quinque testes sine

alia solemnitate sufficiunt, in testamento præter alias solemnitates septem testes requiruntur. Item potest quis plures Codicillos habere, testamentum unum tantum.

*Cur potest quis decedere cum pluribus Codicillis, non verò cum pluribus testamentis?*

Quia per testamentum posterius, rumpitur prius; Codicilli verò posteriores, non rumpunt priores, nisi sint prioribus contrarii.

FINIS LIBER SECUNDI.

## INSTITUTIONUM

SEU

ELEMENTORUM

D. JUSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS

LIBER TERTIUS.

TITULUS PRIMUS.

DE HÆREDITATIBUS QUÆ AB  
intestato deferuntur.*Quis dicitur decedere Intestatus?*

Qui aut omnino testamentum non fecit, aut non jure fecit, aut id quod fecerat, ruptum, irritumve factum est, aut si ex eo nemo hæres extiterit. *Ulp. l. i. D. de suis. et leg. hæ.*

*Quisnam ordo servatur in successione ab intestato?*

Descendentium, Ascendentium, et Collateralium.

*Quinam sunt Descendentes?*  
Liberi utriusque sexus.

*Quinam sunt Ascendentes?*  
Parentes omnes utriusque sexus.

*Quinam sunt Collaterales?*  
Agnati, et Cognati.

Si filius captus ab hostibus eo tempore quo Pater moritur, postea revertatur, succedet ei, seu fiet suus hæres, hocque jure postliminii. §. 4. *Imp. Inst. h. t.*

*Quotuplex est Successio ab intestato?*  
Duplex. In capita, et in stirpes.

*Quænam est Successio in capita?*  
Cum in tot partes hæreditas dividitur, quod sunt capita, sive personæ succedentium.

*Quænam est Successio in stirpes?*  
Cum pro numero stirpium hæreditas secatur, ut qui sunt ex una stirpe partem unam ferant, qui ex altera, licet pauciores, aut unus tantum, partem alteram.

*Quid sunt Capita?*  
Personæ unius, aut plurium stirpium.

*Quid sunt Stirpes?*  
Generis origines, veluti filius est stirps nepotum, nepos est stirps pronepotum.

## TITULUS II.

DE LEGITIMA AGNATORUM  
successione.

*Quisnam est secundus ordo succedentium  
ab intestato ?*

Deficientibus suis hæredibus, et omnibus  
iis quos inter suos hæredes Prætor, vel  
constitutiones vocant, Agnati vocantur ad  
successionem ex lege XII. Tab.

*Quinam veniunt hic nomine Agna-  
torum ?*

Agnati specialiter sumpti, seu Cognati  
per virilis sexus personas cognatione con-  
iuncti.

*Si plures sint Agnatorum gradus quis-  
nam vocatur ?*

Proximus. Etque defertur hæreditas ex  
legè XII. Tab. per hæc verba: Si quis intes-  
tatus existat, cui suus hæres non extet, ag-  
natus proximus familiam habeto. *Ulp. l. 2.  
§. 4. D. de suis et leg. hæer. et l. 195. §. 1.  
D. de verb. sign.*

*Succeduntne foeminae jure agnationis  
ab intestato ?*

Utique. Inter masculos agnatos; et fœ-  
minas agnatas, quoad successionem ab in-

testato, nullam differentiam esse voluit Jus-  
tinianus. *Novel. CXVII. cap. IV.*

## TITULUS III.

DE SENATUSCONSULTO  
Tertylliano.

*Quid cautum Senatusconsulto Tertylliano ?*

Ut Mater ingenua, trium, libertina, qua-  
tuor liberorum ius habens, ad bona fi-  
liorum, filiarumque intestato decedentium  
admittatur, licet in potestate Patris sit.  
*§. 2. Imp. Inst. h. t.*

Justinianus respiciens ad naturam, puer-  
perium, periculum, et sepe mortem ex  
hoc casu Matribus illatam, eis jus legitimæ  
successionis omnimodo concessit; licet in-  
genua tres, libertina quatuor liberos non  
haberet. *l. 2. C. de jur. lib.*

Et si filius filiaque mortui, vulgo quæsi-  
fuerit, Mater etiam eis succedet. Ita. Ul-  
pianus *l. 2. §. 1. D. ad S. C. Tertyll. et  
Orph.*

## TITULUS IV.

DE SENATUSCONSULTO  
Orphitiano.

*Quid cautum Senatusconsulto Orphitiano?*

Ut liberi jus legitimæ successionis in bonis Matris consequerentur, etiamsi alieno juri subjecti essent.

*Liberi vulgo quæsi etiam ad Matris hæreditatem admittuntur?*

Utique ex S. C. Orphitiano. Excepta tamen Matre illustri, cujus liberi spurii minime ei succedere possunt, dummodo existant legitimi. *Justin. l. 5. C. ad S. C. Orph.*

Successionis quæ ex S. C. Tertulliano, et Orphitiano deferuntur, capitis deminutione minime pereunt. §. 2. *Imp. Inst. h. t.* Hocque intelligendum est de capitis deminutione minima, nam maxima et media, quibus libertas et civitas amittitur, absdubio de successione quæri non potest. *Ulp. l. 1. §. 8. D. ad S. C. Tertull. et Orph.*

## TITULUS V.

## DE SUCCESSIONE COGNATORUM.

*Quisnam est tertius ordo succedentium ab intestato?*

Post suos hæredes, eosque quos inter suos hæredes Prætor, et constitutiones vocant; item post legitimos, (quiquidem sunt agnati, et illi qui ex Senatusconsultis, et constitutionibus loco agnatorum sunt) Prætor vocat proximos cognatos. *Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Cur dicitur Prætorem vocare proximos cognatos?*

Quia lex XII. Tab. duos tantum hæredum ab intestato ordines facit, suorum, et agnatorum. Igitur qui tertio ordine, seu a Prætore ad successionem vocantur, nimirum cognati, jure civili hæredes non fiunt, sed jure prætorio bonorum possessores; iique pro hæredibus habentur, et vi ipsa a Prætore hæredes fiunt. *Ulp. l. 1. D. und. cogn.*

*Vulgo quæsi agnatos habent?*

Minime; quia agnatio a Patre est, et vulgo quæsi nullum Patrem habere intelliguntur. *Ulp. l. 4. D. und. cogn. §. 4. Imp. Inst. h. t.*

*Ad quem usque gradum vocantur Cognati,  
et Agnati?*

Cognati, usque ad sextum gradum cognationis olim vocabantur, Agnati usque ad decimum. Cæterum Justinianus universas agnationis, et cognationis differentias quoad successiones, et tutelas, sustulit, Nov. CXVIII. cap. IV.

## TITULUS VI.

### DE GRADIBUS COGNATIONUM.

*Quid venit hic nomine Gradus?*

Ipsa generationum series, quod alii ab aliis, quasi gradibus quibusdam orientur.

*Quid est Linea graduum cognationis?*

Coordinatio personarum, a se invicem, vel saltem ab eodem stipite procedentium, per quam duorum præcipue conjunctio, et cognatio demonstratur.

*Quid est Stipes?*

Ea persona, a qua cæteræ de quibus quaeritur descendunt, et originem trahunt.

*Quotuplex est Linea graduum cognationis?*

Duplex. Alia recta, et perpendicularis; alia transversa, seu lateralis.

*Quenam est linea recta, et perpendicularis?*

Ea quæ solos ascendentes, et descendentes conjungit, semperque in diagrammate cognationis recta est, nec unquam deflectit ad latus.

*Quenam est Linea transversa, seu lateralis?*

Ea quæ continet omnes eos qui ex latere veniunt, ut Fratres, Sorores, &c.

*Hæc Linea transversalis dividitur in æqualem, et inæqualem.*

Linea æqualis, est ea in qua personæ de quibus quaeritur, æqualiter distant a communi Parente, aut stipite, ut duo fratres.

Linea inæqualis, est ea in qua personæ de quibus quaeritur, inæqualiter distant a communi Parente, aut stipite. Seu: in qua unus eorum de quibus agitur, remotior est a communi Parente, quam alter; ut frater, et filius alterius fratris.

Superior cognatio, est Parentum; inferior, liberorum; ex transverso, fratrum, sororumve, et eorum qui quæve ex his generantur.

En gradus cognationis, quos ex J. C. Paulo l. 10. D. de grad. et aff. discere potes.

Avus, est Pater Patris, vel Matris,

Avia, est Mater Patris, vel Matris.

Proavus, est Pater Avi, vel Avia.



Proavia, est Mater Avi, vel Aviaë.

Abavus, est Pater Proavi, vel Proaviaë.

Abavia, est Mater Proavi, vel Proaviaë.

Nepos, est Filius Filii, vel Filiaë.

Neptis, est Filia Filii, vel Filiaë.

Pronepos, est Filius Nepotis, vel Neptis.

Proneptis, est Filia Nepotis, vel Neptis.

Fratres germani, seu consanguinei, sunt fratres ex eodem Patre nati, et ex eodem sanguine geniti.

Fratres uterini, sunt filii ejusdem Matris, diversi verò Patris.

Fratres patruales, sunt duorum fratrum filii.

Patruus, est Frater Patris.

Amita, est Soror Patris.

Avunculus, est Frater Matris.

Matertera, est Soror Matris.

Patruus magnus, est Frater Avi.

Amita magna, est Soror Avi.

Avunculus magnus, est Frater Aviaë.

Matertera magna, est Soror Aviaë.

Patruus major, seu Propatruus, est Proavi Frater.

Amita major, seu Proamita, est Proavi Soror.

Avunculus major, seu Proavunculus, est Proaviaë Frater.

Matertera major, seu Promatertera, est Proaviaë Soror.

Patruus maximus, seu Abpatruus, est Abavi Frater.

Amita maxima, seu Abamita, est Abavi Soror.

Avunculus maximus, seu Abavunculus, est Abaviaë Frater.

Matertera maxima, seu Abmatertera, est Abaviaë Soror.

Glos, est Uxor Fratris.

Levir, est Frater viri, vel mariti.

Sobrini et Sobrinaë; sunt qui vel quæ ex patruelibus fratribus, vel sororibus, consobrinis, vel amitis, progeniti, vel progenitaë sunt.

Nurus, est Uxor Filii.

Pronurus, est Uxor Nepotis.

Socer, est Pater Mariti, vel Uxoris.

Soerus, est Mater Mariti, vel Uxoris.

Socer magnus, est Avus Mariti, vel Uxoris.

Socrus magna, est Avia Mariti, vel Uxoris.

Vitricus, est Maritus Matris.

Noverca, Uxor Patris.

Urivignus, est qui ex marito mulieris natus est, antequam fuisset maritus ejus, vel e contra.

Privigna, est Filia Uxoris ab alio viro priori genita: vel e converso; Filia mariti ex alia uxore prædefuncta.

Comprivigni, sunt Filii uxoris ex alio marito, et Filii mariti ex alia uxore.

## TITULUS VII.

### DE SERVILI COGNATIONE.

*Quænam est Servilis Cognatio?*  
Quæ in servitute alterius, vel utriusque cognati contracta est.

*Filii in servitute suscepti, et liberi deinde facti, Patri itidem manumissi succedunt?*

Antiquitus minime succedebant, quia servi nullam habebant juris civilis, aut Prætorii communionem, ex *Ulp. l. 20. §. 7. D. qui test. fac. pos.*

At postea Imperatoris Justiniani Constitutione cautum fuit, non solum ut liberi cujuscumque gradus, in servitute suscepti; sive soli sint, sive cum aliis filiis concurrant ex justo matrimonio procreatis. Patri libero succedant, et patronum excludant; sed etiam, ut deficientibus liberis, frater

unus, tali cognatione conjunctus, ad alterius fratris successionem vocetur, excluso patrono. *Prin. Imp. Inst. h. t.*

Pro omnibus de successione ab intestato hucusque dictis, en tres regulas.

1. Qui parem gradum cognationis obtinent, pariter ad successionem vocantur.
2. Qui est in priori gradu cognationis, potior est remotiori cognato.
3. Qui est in priori ordine succedentium, quocumque gradu sit, potior est omnibus qui sunt in remotiori ordine, licet sint in priori gradu.

Excipitur tantum frater, et soror emancipati, qui etsi capite minuti sint, tamen præferuntur cæteris ulterioris gradus agnatis.

*Successio alia est Ordinum, alia Graduum.*

Successio Ordinum est: Cum universo personarum ordine hæreditatem repudiante, venit subsequens ordo, v. g. renuntiantibus liberis omnibus, sequitur alter ordo, nimirum agnatorum, his omnibus repudiantibus, ordo cognatorum venit, et si omnes cognati repudient, sequens ordo, nimirum vir, et uxor ad successionem vocantur.

Successio graduum est: Cum proximio-

ribus testatori repudiantibus, qui eos sequuntur in eodem ordine, veniunt, v. g. proximioribus agnatis repudiantibus, remotiores agnati vocantur.

## TITULUS II.

### DE SUCCESSIONE LIBERTORUM.

**L**ibertorum successio non active, sed passive intelligenda est; non qua libertus succedit alii, sed qua ipsi liberto succeditur.

*Quid circa Libertorum successionem observatur?*

Quatuor jura distinguenda sunt, scilicet: Lex duodecim tabularum, Jus prætorium, Lex Papia Poppæa, et Justiniani constitutio.

Intestato liberto mortuo, lex XII. Tab. primum suis hæredibus deferebat hæreditatem; si hi non fuerint, tunc Patrono.

Postea Prætoris edicto factum, ut si libertus testamentum faceret, Patrono partem dimidiam bonorum relinqueret, quod si nihil, aut minus dimidia parte relinqueret, dabatur Patrono contra tabulas testamenti, partis dimidiæ bonorum possessio. Si vero

libertus intestatus decederet, suo hærede relicto filio adoptivo, dabatur æquè Patrono contra hunc suum hæredem, partis dimidiæ bonorum possessio.

Postea verò lege Papia Poppæa cautum fuit, ut si Libertus habens centum millia sestertiorum in patrimonio, decedens, pauciores quam tres liberos haberet, virilis ejus hæreditatis pars Patrono competeret; ita nimirum, ut si unum tantum liberum haberet, dimidia pars; si duos, tertia pars Patrono acquireretur; si autem tres, aut plures relinqueret, sive testatus, sive intestatus decederet, Patronus in totum a bonorum ejus acquisitione submoveretur.

Ad demum Justiniani Constitutione factum ut si Libertus minus centum aureis haberet in patrimonio, et testamentum faceret, Patronus in ejus successione nullum locum haberet. Si verò intestatus decederet, nullo liberorum relicto, Patronus omnia ejus bona acquireret. Attamen si Libertus plus centum aureis habens in patrimonio decederet, sive testatus, sive intestatus, tum si liberos reliquisset, Patronus excluderetur, si autem liberos non reliquisset, Patronus ab intestato in solidum hæres fieret. §. 3. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS IX.

## DE ASSIGNATIONE LIBERTORUM.

*Quid est Assignare Libertum?*

**E**st testificari cujus ex liberis eum libertum esse velit. Id est: Jus patronatus quod aliqui pluribus competeret, uni peculiariter attribuere. *Modest. l. 170. D. de verb. sign. Ulp. l. 1. D. de assig. libert.*

*Quibus modis fit hæc Assignatio?*

Quibuscumque verbis, vel nutu, vel testamento, vel sine testamento, vel codicillis, vel per modum contractus, aut donationis inter vivos, vel mortis causa, vel epistola, chirographo; pure, sub conditione, &c. *Ulp. l. 1. §. 3. et Scæv. l. 7. D. de assig. libert.*

## TITULUS X.

## DE BONORUM POSSESSIONIBUS.

Secundus modus acquirendi per universitatem, est Bonorum possessio.

*Quid est Bonorum Possessio?*

Jus persequendi, retinendive patrimonii, sive rei, quæ cujusque cum moritur fuit. *Ulp. l. 3. §. 2. D. de bon. pos.*

Hoc jus bonorum possessionis introductum fuit a Præto, emendandi juris veteris gratia, laxando scilicet, mitigandoque juris civilis rigorem.

*Bonorum possessor estne hæres?*

Minimè, quia bonorum possessor fit a Præto, qui hæredem non potest facere: Hæres enim tantum per legem, senatusconsulta, aut principales constitutiones fieri potest.

*Quotplex est Bonorum possessio?*

Duplex. Est testamento, et ab intestato.

Ex testamento alia est bonorum possessio contra tabulas, alia secundum tabulas.

Bonorum possessio contra tabulas, est quæ præteritis liberis datur §. 1. *Imp. Ins. h. t.*

Bonorum possessio secundum tabulas, est quæ omnibus jure scriptis hæredibus confertur. *Ibid.*

*Cur Bonorum possessio contra tabulas dicitur esse ex testamento, cum per eam testamentum oppugnetur?*

Bonorum possessio contra tabulas dicitur esse ex testamento improprie, et abusive; nec alio sensu, quam quod ea locum non habeat, nisi defunctus testamento facto decesserit: nam quomodo erit bonorum

possessio contra tabulas, si nullæ tabulæ præsupponentur?

*Quot sunt Bonorum possessiones ab intestato?*

Jure novo sunt quatuor, unde liberi, unde legitimi, unde cognati, unde vir et uxor. *Modest. l. 1. D. quis ordo in bon. pos.*

Jure veteri præter has, quatuor erant aliæ, nimirum unde decem personæ, tanquam ex familia, unde patroni, patronæque, liberique eorum, et unde cognati manumissoris.

*Quænam est Bonorum possessio unde liberi?*

Illæ, qua sui hæredes, et illi qui eorum loco sunt, ut liberi emancipati, vocantur jure prætorio, ad Patris, vel Avi successionem.

*Quænam est Bonorum possessio unde legitimi?*

Quæ defertur agnatis, et patronis, necnon etiam aliis, qui suis hæredibus deficientibus, ex constitutionibus, vel senatusconsultis vocantur ad legitimam hæreditatem.

*Quænam est Bonorum possessio unde cognati?*

Illæ ad quam vocantur cognati, nullis extantibus suis hæredibus, aut agnatis.

*Quænam est Bonorum possessio unde vir, et uxor?*

Ea, qua deficientibus suis hæredibus, agnatis, et cognatis, patronis, eorumque liberis, et agnatis, vir ad successionem uxoris, et uxor ad successionem viri vocatur, excluso Fisco, qui alioqui bona vacantia occuparet.

*Item Bonorum possessiones aliæ sunt Ordinariæ, aliæ Extraordinariæ.*

Ordinariæ, sunt quæ certo jure, atque ordine, certisque personis, tum testamento facto, tum ab intestato deferuntur; ut omnes supradictæ.

Extraordinariæ, sunt quæ extra certum illum ordinem quibusdam accommodantur.

*Item Bonorum possessio alia est Edictalis, alia Decretalis.*

Edictalis est: Quæ postulanti datur ex ipso edicto, sine decreto, aut causæ cognitione; quæ proinde etiam de plano peti potest. Hujusmodi sunt natura sua omnes Ordinariæ.

Decretalis est: Quæ non ex solo edicto, sed interveniente decreto Magistratus datur. Seu: Quæ causa cognita, petenti adjudicatur, ac proinde sedente pro tribunali Magistratu, peti, et decerni debet. Hujus-

modi est natura sua Carboniana.

*Quodnam tempus assignatum est pro petend. bonorum possessione?*

Liberis, et Parentibus tam naturalibus quam adoptivis, anni spatium, cæteris autem agnatis, vel cognatis, spatium centum dierum præfinitum est. *Ulp. l. 1. §. 12. D. de succ. s. edic. §. 4. Imp. Inst. h. t.*

Hic considerandi sunt dies utiles, non verò continui.

*Quinam sunt Dies Utiles?*

Illi quibus experiundi juris sui potestas est. *Ulp. l. 1. D. de div. et temp. præes.*

*Quinam sunt Dies Continui?*

Qui sine interruptione, nullisque exceptis currunt.

*Quinam sunt Dies Sessionum?*

Illi in quibus Prætor pro tribunali sedens, postulationibus, et cognitionibus occupatur.

Dupliciter Prætor copiam sui facit; vel in tribunali, vel extra tribunal, quovis alio loco, ubi salva majestate imperii sui, salvoque honore majorum jus dicendi constituit. *Paul. l. 11. D. de just. et jur.*

## TITULUS XI.

### DE ACQUISITIONE PER ADROGATIONEM.

Tertius modus acquirendi per universitatem, est Adrogatio.

*In quo differt hæc tertia acquisitionis species, a duabus suprapositis?*

In eo quod per suprapositas, nimirum per susceptionem hæreditatis, et bonorum possessionem, defuncti; per hæc tertiam, nimirum per adrogationem, viventis bona universa acquirantur.

*Quid, et quomodo acquiritur per Adrogationem?*

Jure veteri cum quis se adrogandum dabit, ipse adrogatus, et res omnes corporales, et incorporales ad ipsum pertinentes, adrogatori pleno jure acquirebantur. *Ulp. l. 15. D. de adop. Papin. l. 11. §. 2. D. de bon. pcs. sec. tab.*

Jure novo ad similitudinem Patentum naturalium, tantummodo usufructus rerum adrogati, Patri adrogatori conceditur. Atsi filius adrogatus in adoptiva familia decesserit, etiam dominium rerum ejus ad adrogationem pertransit, nisi supersint per-

sonæ, quæ Patrem in successione bonorum ejus antecedant. §. 2. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XII.

### DE EO, CUI LIBERTATIS CAUSA bona addicuntur.

Quartus modus acquirendi per universitatem, est libertatem conservandarum causa Bonorum addictio.

*Quomodo fit hæc Bonorum addictio?*

Si quis in testamento jusserit hæredi libertatem dare servis, et hæres aliqua de causa hæreditatem non adierit, tunc libertatum conservandarum causa audiuntur servi, eisque bona addicuntur. *Ulp. l. 2. D. de fideic. libert.*

Hic acquirendi modus descendit ex constitutione, aut rescripto D. Marc. *Just. l. 15. C. de test. man.*

*Quisnam fuit finis, et utilitas hujus rescripti?*

Primus, et præcipuus finis, fuit favor libertatis, ne scilicet ii quibus libertas in testamento relicta fuerat, ob defectum hæredis, aut alterius hæreditatem adeuntis, liberi esse non possent. §. 2. *Imp. Inst. h. t.*

Secundus finis hujus rescripti, fuit famæ defuncti consulere, ne scilicet remine hæredum creditoribus solvente bona a creditoribus occuparentur, aut publicè venderentur, quod pro ignominioso habetur. *Ibid.*

## TITULUS XIII.

DE SUCCESSIONIBUS SUBLATIS, QUÆ fiebant per honorum venditiones, et ex Senatusconsulto Claudiano.

*Suntne aliæ acquisitiones per universitatem, præter supradictas?*

Duo erant amplius, ante dictam in præcedenti titulo, bonorum acquisitiones per universitatem, alia scilicet, Bonorum debitoris emptio, quæ ita fiebat: Si debitor in jus vocatus potestatem sui non faceret, neque defenderetur, ter creditores adire Prætorem oportebat; primo, ut liceret bona possidere; secundo, ut liceret magistrum bonis constituere, qui in auctione divenderet; tertio, ut liceret legem dare bonorum venditioni, et cum emptore cui addicerentur, de parte ejus quod cuique deberetur pacisci: tuncque bona ex

edicto possideri jubebantur, quæ quidem postquam aliquandiu celeberrimis in locis proscripta pendissent, uni ex creditoribus, aut cuilibet alii emptori addicebantur, qui bonorum emptor dicebatur, et omnibus creditoribus in solidum satisfacerebat.

Alterâ bonorum acquisitio per universitatem, erat ex S. C. Claudio, quo factum ut bona omnia mulieris, (quin et ipsa mulier, quæ servili amore bacchata, servo alieno se junxisset) domino servi acquirerentur, seu addicerentur.

Hærum prima ante Justinianum jam esse desiit, secunda a Justiniano sublata,

## TITULUS XIV.

### DE OBLIGATIONIBUS,

#### *Quid est Obligatio?*

Juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei sciendæ secundum nostræ Civitatis jura. *Prin. Imp. Inst. h. t.*

#### *Quotuplex est obligatio?*

Triplex. Merè naturalis, merè civilis, et mixta.

#### *Quid est Obligatio merè naturalis?*

Naturæ, et æquitatis vinculum, quo ita adstringimur ad aliquid dandum, vel faciendum, ut nulla eo nomine sit actio jure civili.

#### *Quid est Obligatio merè civilis?*

Vinculum solius juris civilis, quo quis ita tenetur, ut summo jure in eum sit actio, sed quæ jure prætorio infirmetur, opposita perpetua ex reptione.

#### *Quid est Obligatio mixta?*

Vinculum æquitatis pariter, et juris civilis, quo quis ita adstringitur, ut actio efficaç in eum detur.

#### *Item Obligationes aliæ sunt Civiles, aliæ Prætoricæ.*

Civiles sunt: Quæ aut legibus constitutæ, aut certo jure civili comprobatæ sunt.

Prætoricæ, sunt illæ quas Prætor ex sua jurisdictione constituit.

Item obligationes aliæ sunt ex contractu, aliæ ex quasi contractu, aliæ ex maleficio, aliæ ex quasi maleficio.

#### *Quid est Conventio, seu Pactio, aut Pactum in genere?*

Duorum, vel plurium in idem placitum, et consensus. *Ulp. l. 1. §. 2. D. de pactis.*

#### *Quotuplex est Conventio?*



Duplex. Nuda, et non nuda, seu vestita.

*Quænam est Conventio nuda?*

Quæ in nudis placiti, et conventionis finibus stat, nec certum nomen habens, nec ullam obligandi causam præter conventionem. *Ulp. l. 7. §. 4. D. de pactis.*

*Quænam est Conventio non nuda?*

Quæ puri placiti fines egreditur; quod ex duobus notis cognoscitur, scilicet, si proprium nomen scripta sit, vel si præter conventionem alia obligandi causa subsit, id est si negotium civile gestum sit. *Ulp. l. 7. §. 2. D. de pactis, et l. 15. D. de verb. sign.*

Hæc conventionis species uno verbo dicitur contractus.

*Quomodo definitur Contractus?*

Conventio habens nomen speciale, et civilem obligandi causam.

*Quinam sunt Contractus nominati?*

Qui speciale nomen habent, ut emptio, venditio, &c.

*Quinam sunt Contractus innominati?*

Qui nomine proprio carent, ut isti: do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.

Quatuor modis oritur Obligatio ex contractu, scilicet: re, verbis, litteris, et consensu. *Paul. l. 2. D. de pactis.*

## TITULUS XV.

### QUIBUS MODIS RE CONTRAHITUR Obligatio.

*Quomodo re contrahitur Obligatio?*

Cum datum aliquod, aut factum ad consensum accedens, obligationem inducit.

*Quænam Obligationis hic pertinent?*

Omnes quæ tam ex contractibus nominatis, scilicet mutuo, commodato, deposito, pignore, quam quæ ex innominatis oriuntur; ex quibus omnibus obligatio minime nascitur, nisi darum aliquod, aut factum intervenerit.

*Quid est Mutuum?*

Contractus, quo res quæ pondere, numero, mensurave constant, alicui ita dantur, ut ejus fiant, ea lege, ut is quandoque respondentem creditori tantumdem ex eodem genere reddat. *Gaj. l. 1. §. 2. D. de obl. et act.*

*A quo dicitur Mutuum?*

Ex eo quod de meo tuum fiat. *Paul. l. 2. §. 2. D. de reb. cred.*

Nomine earum rerum quæ pondere, numero, et mensura constant, veniunt hic tantum res illæ quæ æstimantur ex ponde-

re, numero, et mensura, sicque sunt in hominum commercio.

*Liberabitur Mutuatarius interitu rei quam in mutuum accepit?*

Minimè: quia in mutuo Mutuator transfert rei dominium ad Mutuatarium, et regulariter res perit suo domino. Præterea quia mutui debitor non tenetur eandem rem in specie, sed in genere restituere; genus autem numquam perit. *Gu. l. 1. §. 2. et 4. D. de obl. et act.*

Si nummis in mutuum datis, eorum æstimatio creverit, aut decreverit, dubitatur an in eorum solutione spectandus sit valor quem habebant tempore contractus, an quem habent tempore solutionis; et ut neutri contrahentium injuria fiat; definiendum videtur, si bonitas monetæ intrinseca mutata, tempus contractus; si extrinseca, tempus solutionis spectandum esse.

*Quid est Bonitas intrinseca monetæ?*

Bonitas materiæ ex qua moneta cuditur; hæcque potest fieri deterior, si cum nummi essent ex auro puro, postea alii feriantur ex auro minus puro; vel melior, si e contra.

*Quid est Bonitas extrinseca monetæ?*

Valor impositivus; huncque ad arbitrium Principis crescere, et decrescere, experien-

tia multoties compertum est.

Ex mutuo oritur quædam actio quæ appellatur conditio certi. *Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Conditio?*

Actio personalis, per quam petimus ut adversarius ad aliquid nobis dandum condemnatur. Dicitur certi quia per eam aliquid certum petitur.

*Quid est indebitum?*

Quasi contractus ortus ex eo quod quis per errorem aliquid solverit, quod non debebat.

*Per quem errorem debet aliquid esse solutum, ad hoc ut detur petitio indebiti?*

Per errorem facti: nam per errorem juris solutum, non repetitur, cum error, sive ignorantia juris, pro scientia habeatur. Si quis igitur sciens, indebitum solvat, repetere non poterit, cum illud donasse censeatur.

*Quid est Error, seu Ignorantia juris?*

Ignorantia ejus quod habetur in jure; v. g. Si quis ignoret pupillum obligari non posse sine Tutoris auctoritate.

*Quid est Error, seu Ignorantia facti?*

Ignorantia ejus quod non est in jure; v. g. Si quis ignoret testamentum factum, seque

ex eo hæredem institutum fuisset.

*Quid est Commodatum?*

Contractus, quo res gratis traditur certi usus gratia, eo fine, ut eadem species restitueretur. §. 2. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Præcarium?*

Id quod precibus utendum conceditur petenti, tamdiu, quamdiu patitur qui concessit. *Ulp. l. 1. D. de precario.*

*In quo differt Commodatum a Precario?*

In eo quod rem commodatam revocare non licet, nisi finito tempore utendi præscripto; præcarium verò statim cum videtur repeti potest. *Paul. l. 17. §. 3. D. commod. Ulp. l. 2. §. 2 et Cels. l. 12. D. de precario.*

*In quo differt Commodatum a Mutuo?*

In eo quod in mutuo transfertur dominium, in commodato verò tantum usus rei conceditur. Deinde, quod in mutuo debet res in eodem genere restitui, in commodato verò in eadem specie. §. 2. *Imp. Inst. h. t.*

*In contractibus præstatur dolus?*

Utique. In omnibus contractibus præstatur dolus, casus fortuitus in nullo. *Ulp. l. 5. §. 2. D. comm. vel cont. et l. 23. D. de div. reg. jur.*

*Quid est Dolus?*

Occulta machinatio consulto ad nocendum alteri adhibita. Seu ut *Serv. l. 1. §. 2. D. de dolo malo*: Machinatio quædam alterius decipiendi causa, cum aliud simulatur, et aliud agitur.

*Quotuplex est Dolus?*

Duplex. Alius est bonus, alius malus.

*Quisnam est Dolus bonus?*

Qui licitus est. v. g. hostibus insidias struere.

*Quisnam est Dolus malus?*

Qui illicitus est. v. g. furari, alium occidere, &c.

*Quid est Casus fortuitus?*

Quod humano capto prævideri non potest, aut cui prævisio non potest resisti. Tales sunt aquarum inundationes, incursus bestium, incendia, mortes animalium, &c. *Ulp. l. 15. §. 2. D. locat. cond. §. 2. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Culpa?*

Omne factum inconsultum, quo nocetur alteri injuria. *Vinn. ad §. 2. Imp. Inst. h. t. n. 7.*

*Quotuplex est Culpa?*

Triplex. Lata, levis, et levissima.

*Quid est Culpa lata?*

Omissio ejus diligentiae quam omnes ho-

mines suis rebus adhibere solent. Aut: Id factum in re aliena, quod nemo admitte-  
ret in re propria. *Id. ibid. num. 8.*

Hæc culpa etiam magna, crassa, supina  
negligentia appellatur.

*Quid est Culpa levis?*

Omissio ejus diligentiae, quam hominum  
natura desiderat. Seu: Id admissum in re  
aliena, quod diligens Paterfamilias non  
committeret in re sua. *Id. ibid. num. 9.*

*Quid est Culpa levissima?*

Omissio ejus diligentiae, quam vigilantis-  
simus quisque, atque attentissimus Pater-  
familias suis rebus adhibet. Sive: Id com-  
missum in re aliena, quod diligentissimus  
Paterfamilias omitteret. *Id. ibid. num. 10.*

*Quotuplex actio oritur ex Commodatio?*

Duplex. Directa, quæ domino datur ad-  
versus commodatarium, ad hoc ut rem si-  
bi commodatam restituat; et Contraria,  
quæ competit commodatario contra domi-  
num, ad hoc ut sibi restituat impensas quas  
fecit in re commodata.

*Quid est Depositum?*

Contractus, quo res alicui gratis custo-  
dienda datur, sub lege ejusdem in eadem  
specie restituendæ. *Ulp. l. 1. D. depos.  
vel cont.*

*Quotuplex est Depositum?*

Duplex. Vulgare, et Miserabile, seu  
Necessarium.

*Quodnam est Depositum Vulgare?*

Quod fit ultrò, et nulla cogente præci-  
piti necessitate.

*Quodnam est Depositum Miserabile?*

Quod fit urgente necessitate, ex causa ta-  
multus, incendii, ruinae, naufragii, &c.

*Potest qui deposuit repetere, et depo-  
sitarius restituere rem depositam*

*quocumque tempore?*

Certè potest qui deposuit, quovis tempo-  
re rem depositam repetere; eique repeten-  
ti ante constitutum tempus reddenda est.  
*Ulp. l. 1. §. 46. D. depos. vel cont.*

Attamen depositarius ante statutum tem-  
pus, nisi justissima causa interveniat, rem  
depositam restituere non potest. *Ulp. l. 5.  
§. 2. D. eod.*

*Quid est Pignus?*

Contractus, quo res traditur creditori  
in securitatem crediti, eo persoluto in spe-  
cie restituenda.

Ex pignore (idem dicitur de deposito) du-  
plex oritur actio, alia Directa, quæ domi-  
no datur adversus creditorem, ad hoc ut  
rem pro pignore datam, soluto debito res-

tituat: alia Contraria, quæ competit creditori adversus dominum, ad hoc ut sibi restituat sumptus quos fecit in pignore.

Famosa pacta quæ solent apponi pignori, sunt pactum Anticresios, et pactum Legis commissoriæ.

*Quid est Anticresis?*

Pactum, ut creditor lucretur fructus ex pignore provenientes, donec debitum sit solitum.

*Quid est Lex Commissoria?*

Pactum, ut si intrâ certum tempus debitum non fuerit solutum, creditor acquirat pignus loco debiti.

## TITULUS XVI.

### DE VERBORUM OBLIGATIONIBUS.

*Quid est Verborum obligatio?*

**O**bligatio contracta per stipulationem.

*Quid est Stipulatio?*

Verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum, facturumve se quod interrogatus est respondet. *Pompon. l. 5. §. 1. D. de verb. obl.*

*Quænam est forma stipulationum?*

Olim erat interrogatio, et responsio facta per verba solemnia: Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Facies? Faciam. &c. Nunc non solemnibus, sed quibuscumque verbis in formam interrogationis, et responsionis conceptis, stipulatio fit, et stipulatores obligantur. *Ulp. l. 1. D. de verb. obl. §. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Quotupliciter fit Stipulatio?*

Tripliciter, Pure, in diem, et sub conditione.

*Quænam est Stipulatio pura?*

Quæ sit sine additione diei, vel conditionis; v. g. hæc: Centum aureos dare spondes? Spondeo. Et confestim centum aurei peti possunt. *Ulp. l. 213. D. de verb. sign. §. 2. Imp. Inst. h. t.*

*Quænam est Stipulatio in diem?*

Quæ sit cum additione alicujus diei, quo die solutio fieri debet; v. g. Decem aureos dare promittis Calendis Martiis? Promitto. Hi decem aurei peti non possunt quousque dies venerit, licet statim debeantur. *Id. ibid.*

*Quænam est stipulatio sub conditione?*

Quæ sit cum additione conditionis; v. g. Fundum tusculanum dabis si Titius nupserit cum Clori? Dabo. Pendentem conditione,

nil debetur, neque peti potest. *Ulp. ibid.*

§. 4. *Imp. Inst. h. t.*

Stipulatio sub conditione impossibili in faciendum concepta minimè valet. *Ulp. l. 7. D. de verb. obl.*

At Stipulatio facta sub conditione ad præsens, vel præteritum tempus relata, valet; et statim debetur quod stipulatur, si conditio adjecta vera sit, minimè verò si sit falsa. *Modest. l. 100. de verb. obl.*

## TITULUS XVII.

### DE DUOBUS REIS STIPULANTI, et promittendi.

**R**eus stipulandi est: Qui stipulatur. Reus promittendi est: Qui promittit. *Modest. l. 1. D. de duob. reis cons.*

*Quinam sunt duo Rei stipulandi?*

Qui eandem rem ab eodem in solidum stipulati sunt, ea mente, ut quamvis solida singulis, una tamen omnibus debeatur. *Ulp. l. 3. §. 1. D. eod.*

*Quomodo fiunt duo Rei stipulandi?*

Si duobus separatim stipulantibus, promissor respondeat: Utrique vestrum dare spondeo. *Pompon. l. 4. D. eod.*

*Quinam sunt duo Rei promittendi?*

Duo, quorum singuli eandem rem eidem stipulanti promiserunt, ea mente, ut quamvis solidum singuli, unum tamen omnes debeant. *Ulp. l. 3. §. 1. D. eod.*

*Quomodo fiunt duo Rei promittendi?*

Si uni tantum stipulanti respondeant singuli separatim: Spondeo. *Pompon. l. 4. D. eod.*

Ex duobus Reis promittendi alius pure, alius in diem, vel sub conditione obligari potest. *Flor. l. 7. D. eod.*

Et alio ex eis debitum solvente liberatur alter. *Javol. l. 2. D. eod.*

## TITULUS XVIII.

### DE STIPULATIONE SERVORUM.

*Potest Servus stipulari?*

**P**otest quidem, cæterum non ex persona propria, sed ex persona domini; et quidquid sive domino, sive sibi, sive conservo, sive impersonaliter servus stipuletur, suo domino acquirit. *Prin. tit. et §. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Si servus communis stipuletur, cui acquirit?*

Unicuique dominorum, proportionem do-

minii, nisi jussu unius eorum, aut nominatim alicui eorum stipulatus sit; sic enim soli ei cuius jussu, aut cui stipulatus est acquirit. *Ulp. l. 5. et 7. D. stip. serv. §. 3. Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XIX.

### DE DIVISIONE STIPULATIONUM.

*Quomodo dividuntur Stipulationes?*

**I**n judiciales, prætorias, communes, et conventionales. *Pomp. l. 5. D. de verb. ob.*

*Quænam sunt Stipulationes judiciales?*

Quæ a mero Judicis officio proficiscuntur, ut cautio de dolo. *Pomp. ibid. §. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Quænam sunt Stipulationes prætoricæ?*

Quæ a mero Prætoris officio proficiscuntur, veluti damni infecti. *Pomp. ibid. §. 2. Imp. Inst. h. t.*

*Quænam sunt Stipulationes conventionales?*

Quia ex conventionione reorum, seu contrahentium concipiuntur. Harum tot sunt genera, quot rerum contrahendarum. *Pomp. ibid. §. 3. Imp. Inst. h. t.*

*Quænam sunt Stipulationes communes?*

Quæ rebus ita exigentibus, interdum auctoritate Prætoris interponuntur, interdum jubente Judice: ut cautio rem Pupilli salvam fore. *Pomp. ibid. §. 4. Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XX.

### DE INUTILIBUS STIPULATIONIBUS.

*Quot modis fiunt inutiles Stipulationes?*

**Q**uatuor. Ratione rerum quæ in stipulationem deducuntur; ratione personarum stipulantium; ratione verborum, seu formæ adhibitæ in contrahenda stipulatione; et ratione causæ ob quam fit stipulatio.

*Quomodo fiunt inutiles Stipulationes ratione rerum?*

Si stipulentur res quæ in hominum commercio non sunt, nec esse possunt; ut res sacræ, religiosæ servus mortuus, hyppocentaurus, &c. *§. 1. et 2. Imp. Inst. h. t.*

*Quomodo fiunt inutiles Stipulationes ratione personarum?*

Si v. g. filiusfamilias promittat aliquid Patri, vel servus domino, et vice versa; quia dominus, et servus, Pater, et filius, in iis quæ juris sunt, eadem persona censentur.

tur. §. 4. *Imp. Inst. h. t.*

*Quomodo fiunt inutiles Stipulationes  
ratione verborum, et formæ  
adhibitæ?*

Si quis ita stipuletur: Post mortem tuam, (vel meam) dare spondes? Spondeo. Prædie quam moriar, (vel moriaris) dare promittis? Promitto. Hodie tamen sive post mortem, sive prædie quam moriatur stipulatio concepta sit, ex Justiniani constitutione valet. *l. 11. C. de contr. et com. stip. §. 12. Imp. Inst. h. t.*

*Quomodo fiunt inutiles Stipulationes  
ratione causæ?*

Si causa turpis stipulationi adjecta fuerit; v. g. si quis promittat aliquid homicidii, sacrilegii, aut furti cujusdam faciendi gratia, quia conventiones quæ præbent occasionem delinquendi minime valent. *Ulp. l. 26. et Papin. l. 122. D. de verb. obl.*

*Possunt stipulari res quæ non sunt, et  
erunt?*

Utique possunt. Hujusmodi sunt fructus ex fundo nascituri, partus ancillæ futurus.

Mutus, quia loqui non potest; Surdus, quia verba audire, eisque respondere non valet; Furiosus, quia non intelligit quod agit, stipulari non possunt. *Ulp. l. 1. D. de*

*verb. obl. Gaj. l. 1. §. 12. D. de obl. et act.  
Potest Impubes stipulari?*

Si sit pubertati proximus, potest quidem, et sine Tutoris auctoritate stipulari; minime verò si sit infans, infantiaevæ proximus. Ratio est, quia pubertati proximi jam intelligunt quod agunt, et doli capaces censentur, minimè verò infantes, et infantiaevæ proximi. Igitur si hi stipulentur alios obligant, et ipsi minime obligantur. *§. 9. Imp. Inst. h. t.*

Impuberum ætas in tres gradus distinguitur, alii enim sunt infantes, alii infantiaevæ proximi, alii pubertati proximi.

Infans est, qui minor est septem annis, ita dictus quasi impos fandi. *Theod. et Val. l. 18. C. de jur. delib.*

Infantiaevæ proximus, seu infante major est, qui excessit ætatem septem annorum, si sit mas, usque ad annum decimum, et dimidium; si sit foemina, usque ad nonum et dimidium,

Pubertati proximus est, qui excessit annum decimum et dimidium si sit mas, usque ad annum decimum quartum; et nonum et dimidium si sit foemina, usque ad duodecimum,



*Quænam est Stipulatio Præpostera?*

Ea in qua quæ debent esse priora, posteriori loco, et quæ debent esse posteriora, priori loco collocantur; v. g. hæc: Si navis cras ex Assia venerit, decem hodie dare spondes? Spondeo?

Hujusmodi stipulatio prisca temporibus inutilis erat, sed Justiniani constitutione factum, ut in omnibus valeat hujusmodi conceptio stipulationis, eo tamen sensu, ut actio rei debitæ post conditionis, vel diei eventum differatur. *l. 25. C. de test. et quem.*

## TITULUS XXI.

### DE FIDEJUSSORIBUS.

*Quis est Fidejussor?*

Qui pro alio per stipulationem se obligat, citrà ullam novationem.

*Quis est Expromissor?*

Qui pro alio ita se obligat, ut eum liberet, et totam obligationem in se refundat.

*Quibus obligationibus Fidejussor accedere potest?*

Omnibus obligationibus, sive re, sive verbis, sive litteris, sive consensu contrac-

*tis. Ulp. l. 1. D. de fidej. et mand. §. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Fidejussor obligat se ipsum tantummodo?*

Minimè. Talis est obligatio qua tenetur Fidejussor, ut non ipse tantum obligetur, sed etiam hæredem suum obligatum relinquat. *Ulp. l. 4. §. 1. D. eod.*

*Possunt plures esse Fidejussores ejusdem rei?*

Utique, et singuli eorum in solidum tenentur, sive id nominatim convenerit, sive non convenerit. *Sever. et Ant. l. 3. C. eod.*

*In quam summam obligatur Fidejussor?*

In eandem quam debet is pro quo fidejussit, seu in minorem; in majorem vero obligari minime potest. *Ulp. l. 8. §. 7. D. eod.*

*Quænam præcipua beneficia competunt Fidejussoribus?*

Beneficium ordinis, sive excusionis, beneficium divisionis, sive Epistolæ D. Adriani, et beneficium cedendarum actionum.

*Quid est Beneficium ordinis, sive excusionis?*

Est beneficium, quo creditor cogitur primò agere contrà debitorem principa-

lem, antequam possit procedere contra fidejussorem.

*Quid est Beneficium divisionis, sive Epistolæ D. Adriani?*

Est beneficium, quo creditor cogitur actionem dividere, et debitum petere per partes a singulis fidejussoribus.

*Quid est Beneficium cedendarum actionum?*

Est beneficium, quo creditor cogitur actiones suas cedere fidejussori, qui paratus sit totum debitum solus solvere.

## TITULUS XXII.

### DE LITTERARUM OBLIGATIONIBUS,

*Quid est Litterarum Obligatio?*

Cum quis scripto alteri mutuo consensu tradito, confessus est, se ab eo certam summam; v. g. mutuam accepisse, quam non accepit.

Tria sunt remedia quibus retractare potest confessionem, qui hujusmodi scriptum tradidit, videlicet: Conditio cautionis, sive chirographi; Querela, sive denunciatio,

aut protestatio de non facta numeratione; et Exceptio non numeratæ pecuniæ. *Alex. l. 7. et 8. Anton. l. 3. C. de non num. pec.*

*Intra quod tempus debet proponi exceptio non numeratæ pecuniæ?*

Olim ante quinquennium a tempore dati scripti, vel chirographi proponi debebat. Nunc ex Justiniani constitutione intra biennium proponenda est. *l. 14. C. eod.*

*Quid est Chirographum?*

Schedula continens obligationem.

## TITULUS XXIII.

### DE OBLIGATIONIBUS EX CONSENSU.

*Quænam sunt Obligationes ex consensu?*

Illæ in quibus solo consensu contrahentium, citra omnem rei interventum, scripturam, aut verborum solemnitatem, nascitur obligatio.

*Quot sunt harum obligationum species?*

Quatuor. Emptio et Venditio, Locatio et Conductio, Societas, et Mandatum.

*Quænam singularia observantur in his Obligationibus?*

Quod semper ultrò, citròque obligationem pariunt, et sunt omnes bonæ fidei, ita ut in illis multa præstentur ex bono, et æquo, etiamsi promissa non sint.

## TITULUS XXIV.

### DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

#### *Quid est Emptio et Venditio?*

Contractus, quo id agitur ut pro certa pecunia uni danda, alter rem accipiat.

Hic contractus appellatur Emptio et Venditio, quia duabus partibus constat, scilicet, emptione, et venditione, quæ juncta unum contractum constituunt.

#### *Quis est Emptor?*

Qui dat certum pretium pro certa re.

#### *Quis est Venditor?*

Qui certam rem pro certo pretio tradit.

Res quæ traditur, in hoc contractu dicitur merx; pecunia quæ pro tali re traditur, pretium. *Paul. l. §. 4. l. D. de contr. emp.*

*Possunt Emptor, vel Venditor ab emptione, et venditione recedere?*

A perfecta, minimè possunt; possunt tamen ab imperfecta, et quidem impunes,

nisi data fuerint arrhæ, nam si arrhæ data fuerint, et venditor velit recedere, duplum, seu arrhas duplicatas restituere tenetur; si verò emptor velit recedere, tunc arrhas amittet.

#### *Quid sunt Arrhæ?*

Quidquid traditur venditori ab emptore, confirmandæ venditionis gratia, sive sit annulus, sive pars preti, aut quid simile.

#### *Quando Emptio perfecta intelligitur?*

Ut primum de re, et pretio conventum est, licet nec res tradita, nec pretium numeratum, nec arrhæ data sint. *Ulp. l. 2. §. 1. D. de contr. emp.*

Emptio, et venditio, nisi merx, et pretium interveniant, intelligi non possunt, nam unam rem pro alia; v. g. domum profundo tradere, permutatio est, non venditio. *Paul. l. 1. §. 1. D. eod.*

#### *Quænam est Actio empti?*

Ea quæ competit emptori adversus debitorem, ad hoc ut sibi rem venditam tradere teneatur, et præstet, quidquid sibi ex bona fide eum præstare oportet.

#### *Quænam est Actio venditi?*

Ea quæ competit venditori adversus emptorem, ad hoc ut pretium rei emptæ dare teneatur, et quidquid insuper ex bo-

na fidē eum præstare oportet.

## TITULUS XXV.

### DE LOCATIONE ET CONDUCTIONE.

#### *Quid est Locatio et Conductio?*

Contractus quo id agitur, ut pro usu alicujus rei, aut opera personæ, certa merces præstetur.

#### *Quis est Locator?*

Qui dat aliquid utendum, vel faciendum alteri sub certa mercede.

#### *Quis est Conductor?*

Qui rem utendam accipit, et mercedem præstat.

#### *In quo differunt, et conveniunt Locatio et Conductio, cum Emptione et Venditione?*

Differunt in eo, quod in emptione et venditione rei dominium transferatur, ita ut tota res cum omni jure ad Emptorem transeat, in locatione vero et conductione tantum usus rei Conductoris concedatur.

Conveniunt in eo quod locatio et conductio contrahatur solo consensu, ita etiam emptio et venditio: et sicuti in locatione et

conductione requiritur certa merces, ita in emptione et venditione certum pretium.

#### *Quid est Emphyteusis?*

Contractus juris civilis nominatus, quo alicui prædium aliquod possidendum, et fruendum traditur, sub ea lege, ut pensio annua inde præstetur, in recognitionem domini directi.

Conductio non expirat morte Conductoris, sed hæres ejus in conductione succedit. *Gord. l. 10. C. de locat. et cond.*

## TITULUS XXVI.

### DE SOCIETATE.

#### *Quid est Societas?*

Contractus quo inter aliquos res, aut operæ communicantur, lucri in commune faciendi gratia.

#### *Quotuplex est Societas?*

Quadruplex. Alia rerum, et bonorum omnium; alia universorum quæ ex quæstu veniunt; alia partis bonorum tantum; alia denique unius rei; v. g. certæ alicujus negotiationis, vel artificii, aut fundi in commune empti.

*En tres reglas pro partium acquisitione  
in contractu Societatis.*

1. Si nihil inter socios de paribus lucri, et damni nominatim convenerit, partes et in damno, et in lucro inter eos equales erunt. *Ulp. l. 164. §. 1. D. de verb. sign. §. 1. Imp. Inst. h. t.*

2. Si partes expressæ fuerint, hæ servandæ sunt. *§. 1. et 2. Imp. Inst. h. t.*

3. Si in solo lucro pars expressa fuerit, eadem pars servari debet in damno, et e converso; quia secundum naturam est, commoda cujuscunque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. *Paul. l. 10. D. de div. reg. jur. §. 3. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Lucrum?*

Utilitas quæ superest, omni damno deducto.

*Quid est Damnum?*

Detrimentum quod accidit, omni lucro deducto.

*Quibus modis finitur Societas?*

Renunciatione, morte cujusdam ex Sociis, sine negotii, bonorum publicatione, et eorum cessione. *§. 4. 5. 6. et 7. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Publicatio bonorum?*

Bonorum alicujus in publicum, sive Fiscum translatio.

*Quid est Cessio bonorum?*

Bonorum suorum a debitore sponte facta dimissio, et creditoribus concessio.

TITULUS XVII.

DE MANDATO.

*Quid est Mandatum?*

Contractus quo aliquid honestum gratuito gerendum committitur, atque suscipitur.

*Qualiter contrahitur Mandatum?*

Vel expresse, id est verbis expressis, ut volo, rogo, mando; vel tacite, scilicet per patientiam, cum quis non prohibet, sed tacet; nam qui tacet consentire videtur.

*Quod modis contrahitur Mandatum?*

Quinque. Primò, gratia mandatis tantum; veluti si tibi mandem ut aliquid mei gratia facias. Secundò, gratia utriusque, et mandantis, et mandatarii; ut si mandem tibi aliquid quod utriusque nostrum respiciat utilitatem. Tertiò, gratia aliena tantum; si tibi mandem ut Titii negotia geras. Quartò, gratia aliena, et mandantis; si tibi mandem ut mihi, et Titio domum emas. Quintò, gratia mandatarii, et aliena;

si mandem tibi ut Titio pecuniam sub usu-  
ris credas.

*Estne obligatorium Mandatum rei turpis,  
seu contra bonos mores?*

Minimè. Et ob hoc posui in definitione  
Mandati aliquid *honestum*, quia Mandatum  
rei inhonestæ, mandatum non est, nec is qui  
tale mandatum suscipit; v. g. ædis sacræ  
spoliandæ. vulnerandi hominis, &c. potest  
aliquid mandati iudicio consequi, ob turpi-  
tudinem mandati. *Paul. l. 22. §. 6. D. mand.  
vel cont. §. 7. Imp. inst. h. t.*

Tribus modis dissolvitur Mandatum, Re-  
vocatione, morte, et renunciatione. *§. 9.  
10. et 11. Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XXVIII.

DE OBLIGATIONIBUS QUÆ QUASI  
ex contractu nascuntur.

*Quid est Quasi contractus?*

**N**egotium quod inter aliquos tacitè ge-  
ritur, et sine expresso partium consensu  
obligationem parit, ex causa contractuum  
simillima.

Quinque sunt species Quasi contractus,

scilicet: Negotiorum gestio, Tutelæ, vel  
curæ administratio, Rei communio, Hæ-  
reditatis additio, Indebiti solutio.

*Quid est Negotiorum gestio?*

Quasi contractus ortus ex eo quod quis  
absentis alicujus negotiorum, ultro, et  
sine mandato administrationem suscipiat.  
*Gaj. l. 5. D. de obl. et act.*

*Quis est Negotiorum gestor?*

Qui negotia absentis sponte gerit.

*Quænam actiones ex Negotiorum ges-  
tione nascuntur?*

Directa, quæ competit domino adversus  
negotiorum gestorem, ad hoc ut suæ ges-  
tionis rationem reddat, et damnum si quod  
emerserit, restituat; et Contraria quæ com-  
petit negotiorum gestori, contra dominum,  
ad hoc ut ei sumptus quos fecit in illa ad-  
ministratione persolvat.

*Quid est Tutelæ, vel curæ administratio?*

Quasi contractus, ortus ex eo quod Tu-  
tor, vel Curator res pupilli, cum quo nul-  
lum negotium contraxerunt administrent,

*Quid est Rei communio?*

Quasi contractus, ortus ex eo quod res  
aliqua inter aliquos communis facta sit, ex-  
tra societatis usam.

*Quid est Hæreditatis additio?*

Quasi contractus, ortus ex eo quod hæres hæreditatem adierit; qua additione censetur se legatariis, cum quibus nil contraxit, obligasse ad omnia eis legata præstanda. *Ulp. l. 3. §. 3. D. de quib. ex cau. in pos. eat.*

*Quid est Indebiti solutio?*

Quasi contractus, ortus ex eo quod quis per errorem facti indebitum solverit; hic enim præsumitur eo animo esse cum solvit, ut id quod solvit velit repetere, si sciat indebitum esse. *G. j. l. 5. §. 3. D. de ubi. et act.*

## TITULUS XXIX.

PER QUAS PERSONAS OBLIGATIO  
acquiritur.

*Per quas Personas nobis acquiritur  
obligatio?*

Per easdem, per quas diximus a nobis acquiri dominium, supra, *lib. 2. tit. 9.*

## TITULUS XXX.

QUIBUS MODIS TOLLITUR OBLIGATIO?

Quinque modis tollitur Obligatio, scilicet soltione, acceptilatione, nova-

tionem, mutuo consensu et compensationem.

*Quid est Solutio?*

Hic est: Naturalis, sive realis præstatio ejus quod debetur.

*Quid est Acceptilatio?*

Verborum conceptio, quibus creditor, cui verbis quid promissum est, rogatus a debetore, an id quod ita debetur acceptum ferat, respondet sese acceptum ferre, liberandi ejus causa.

*Quid est Aquiliana Stipulatio?*

Illam per quam contingit, ut omnium rerum obligatio in stipulatum deducatur, et postea per acceptilationem tollatur. *§. 2. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Novatio?*

Prioris debiti in aliam obligationem translatio. *Ulp. l. 1. D. de novat. et deleg.*

Tria in Novatione necessaria sunt, obligatio vetus, obligatio nova, et stipulatio per quam illa in hanc transfertur.

*Quid est Compensatio?*

Debiti, et crediti, quoad concurrentem quantitatem contributio. Fitque; v. g. si ego tibi debeam decem, et tu mihi viginti; tunc enim si ego a te petam viginti quos mihi debes, tu deducis decem quos tibi debebam.

Adverte solum compensari posse quan-

titatem cum quantitate ejusdem generis;  
veluti pecunia cum pecunia, triticum  
cum tritico, &c.

*Quid est Mutuus consensus?*

Liberatio duorum qui contraxerunt, per  
utriusque contrariam conventionem.

*Quænam Obligationes mutuo, et solo  
consensu tolluntur?*

Quæ mutuo, et solo consensu contra-  
hantur; v. g. obligatio exempto, vendito,  
locato, conducto, &c.

FINIS LIBRI TERTII.

# INSTITUTIONUM

SEU

ELEMENTORUM

## D. JUSTINIANI

### SACRATISSIMI PRINCIPIS

LIBER QUARTUS.

TITULUS PRIMUS.

DE OBLIGATIONIBUS QUÆ EX  
delicto nascuntur,

*Quid est delictum?*

Omne factum illicitum quod lege huma-  
na pœnam meretur,

Delictum aliud est Publicum, quod ad  
læsionem Reipublicæ directo tendit, et  
publicè in exemplum vindicatur; aliud  
Privatum, quo privati alicujus utilitas  
læditur.

Publicum delictum, propriè crimen;  
Privatum, maleficiam appellatur.



*Quod sunt Privatorum delictorum species?*

Quatuor. Furtum, rapina, damnum injuria datum, et injuria. *Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Furtum?*

Contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus eius, possessionisve: quod lege naturali prohibitum est admittere. *Paul. l. 1 §. 3. D. de furtis,*

*Quis est fur?*

Qui dolo malo rem alienam contrectat. *Paul. lib. 2. recep. sent. tit. 31.*

*Quid est Contrectare?*

Rem manu tractare, et loco movere. *Paul. l. 3. §. 18. D. de acq. vel omit. pos.*

Furtum sine contrectatione fieri non potest. *Id. ibid.*

*Quotuplex est Furtum?*

Duplex. Manifestum, et non manifestum. *Gaj. l. 2. D. de furtis.*

*Quodnam est Furtum manifestum?*

Illud, cujus Reus, vel in ipso furto, vel in loco furti deprehenditur, vel rem furtivam tenens, antequam eo pervenerit, quo deferre, vel deponere destinaverat. *Ulp. l. 3. in prin. et §. 2. Paul. 4. D. de furt. et lib. 2. recep. sent. tit. 31. §. 2. §. 3. Imp. Inst. h. t.*

*Quodnam est Furtum non manifestum?*

Illud, cujus Reus, nec in ipso furto, nec in loco furti, nec cum re furtiva deprehenditur, priusquam eo pervenerit, quo deferre vel deponere destinaverat. *Gaj. l. 8. D. de furtis, §. 3. Imp. Inst. h. t.*

Quatuor antiquitus ex furto actiones oriebantur, videlicet furti concepti, obliti, prohibiti, et non exhibitii; sed Justiniani temporibus in desuetudinem abierunt. Quid ex essent, vide. *§. 4. Imp. Inst. h. t.*

*Tenetur quis de furto, qui furtum non fecerit?*

Utique tenetur furti actione ille cuius ope, et consilio furtum factum fuerit. *Paul. lib. 2. recep. sent. tit. 31. §. 10.*

*Quis dicitur dare opem?*

Qui ministerium, atque adiutorium ad surripiendas res præbet. *Ulp. l. 50. §. 3. D. de furtis.*

*Quis dicitur dare consilium?*

Qui persuadet, et impellit, atque instruit consilio ad furtum faciendum. *Id. ibid.*

*Quænam est pœna furti?*

Si manifestum sit, quadrupli, tam ex servi quam ex liberi persona; si non manifestum sit, dupli pœna assignata est. *§. 5. Imp. Inst. h. t.*

Sed variè pro variis Reipublicæ temporibus

bus, Imperatorum notibus, et furti circumstantiis, furtum puniri solitum refert Vinæius ad §. 5. *Imp. Inst. h. t.*

Si filiusfamilias, aut servus aliquid a Patre, vel domino in cujus potestate sunt surripuerint, furtum quidem committunt, sed furti actione minime tenentur, tum quia Pater, et dominus, in filium, et servum privatæ animadversionis jus habent; tum etiam quia non magis cum his quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsi agere possumus. *Paul. l. 16. et Ulp. l. 17. D. de furt.*

## TITULUS II,

### DE VI BONORUM RAPTORUM.

#### *Quid est Rapina?*

Violenta, et fraudulenta rei mobilis ablatio,

#### *Quotuplex est Vis?*

Quadruplex. Turbativa vel inquietativa, compulsiva, expulsiva, et ablativa.

#### *Quid est Vis turbativa?*

Cum possessor in possessione manens, impeditur re sua libere uti, siye id fiat manu, et corpore, siye opere facto.

#### *Quid est Vis compulsiva?*

Cum quis minis, iustoque metu illato, alium compellit ad aliquid gerendum, tradendum, aut alienandum.

#### *Quid est Vis expulsiva?*

Cum quis de possessione alicujus rei deicitur.

#### *Quid est Vis ablativa?*

Cum per vim alicui res eripitur.

#### *Quænam actio datur in Raptores?*

Actio de vi bonorum raptorum.

#### *Adversus quos datur hæc actio?*

Adversus eos tantum qui dolo malo raverint. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

Igitur si quis rem quam crederet suam per vim possessori eripuerit, existimans licere domino quovis modo rem suam a possessoribus auferre, hac ratione non tenebitur. *Ulp. l. 2. §. 18. D. de vi bon. rap.*

#### *Quibus datur hæc actio?*

Illis qui eum qui clam amovit, furti agere possunt; id est: illis quorum interest rem quam tenentur aut possident non rapi, siye talis res erepta in bonis, vel ex bonis eorum fuerit. §. 2. *Imp. Inst. h. t.*

In bonis nostris esse tantum dicitur ea res, cujus dominium ad nos pertinet, deducto omni ære alieno.

Ex bonis nostris esse dicitur res illa, quæ cum ad dominium nostrum non pertineat, in substantia tamen, et numero rerum nostrarum invenitur.

### TITULUS III.

## AD LEGEM AQUILIAM.

*Quid est Lex Aquilia?*

**L**ex quæ vindicat, seu punit damnum cum injuria facientis datum.

*Quid est Damnum generaliter?*

Detractio, et diminutio rei alienæ, sive illa lucri causa fiat, sive nullius lucri gratia; et sive salvis rebus, sive peremptis, aut corruptis.

*Quid est Damnum Legis Aquiliæ?*

Patrimonii diminutio, quæ non jure alteri illata est per corruptionem rei, aut deteriorationem ejus, sine lucro damnum dantis; et versatur in occisione servi, pecudis, aut alterius animalis.

Si quis servum, pecudemve casu aliquo, et sine culpa occiderit, minimè tenetur lege Aquilia.

### TITULUS IV.

## DE INJURIS.

*Quid est Injuria?*

**G**eneraliter est: Omne quod non jure fit. *Ulp. l. 1. D. de inj. et fam. lib.*

Hic est: Omne dictum factumve, ad contemptum, infamiam, aut dolorem alterius directum.

*Quibus modis fit Injuria?*

Re, et verbis. *Ulp. l. 1. §. 1. D. eod.*

*Quomodo fit Injuria Re?*

Quoties quis in alium manus infert, vel pugno, aut fustibus alium pulsat; vel etiam si alicujus bona, quasi debitoris, cum nil deberet, possessa fuerint ab eo qui intelligebat, nil eum sibi debere. *Ulp. ibid. §. 1. Imp. Inst. h. t.*

*Quomodo fit Injuria verbis?*

Quoties non manus inferuntur, sed verbis aut litteris quis injuriatur. Si nimirum convitium adversus aliquem proferatur, vel libellum aut carmen contra alterius famam componatur; vel etiam si quis Matremfamilias, aut Prætextatum, Prætextatamve adsectatus fuerit, vel appellaverit; sive alicujus pudicitia attentari dicatur. *Ibid.*

*Quisnam dicitur adsectari?*

Qui tacitus mulierem frequenter sequitur. Hocque injuriosum est, quia assidua frequentia quasi Præbet nonnullam infamiam. *Ulp. l. 15. §. 22. D. de inj. et fam. lib.*

*Quinam dicebantur Prætextati, et Prætextatæ?*

Pueri ingenui, puellæque similiter ingenuæ, qui quævæ annum ætatis sextum decimum nondum compleverant; sic dicti, quod togam gestarent cujus oræ purpura prætextæ erant ornatae, quam quidem togam anno ætatis decimoseptimo deponabant.

*Quid est Appellare?*

Blanda oratione alterius pudicitiam adtentare. *Ulp. l. 15. §. 20. D. de inj. et fam. lib.*

*Quando pudicitia adtentari dicitur?*

Cum id agitur, ut expudico quis impudicus fiat. Ut si quis puellam ad stuprum sollicitet, qui injuriam ei facit, cum hoc ipso significet se jam opinionem aliquam de inconstantia morum ejus concepisse. *Ulp. l. 9. §. 4. et Paul. l. 1. D. eod.*

*Quotuplex est Injuria?*

Duplex. Levis, et Atrox.

*Quænam est Injuria Levis?*

Quæ fit cum quis levitèr, et levi ex causa

ab alio injuriosè pulsatur.

*Quænam est Injuria Atrox?*

Quæ quasi contumeliosior, et major æstimatur. *Ulp. l. 7. §. 7. D. eod.*

*Per quas personas quis Injuriam patitur?*

Non solum per semetipsum, sed etiam per uxorem, per liberos in potestate existentes, et etiam per servos, si nimirum aliquid atrocius in servum committatur, et quod manifestè contumeliam domini respiciat. *§. 2. et 3. Imp. Inst. h. t.*

*Quænam est pœna injuriarum?*

Olim ex lege XII. Tab. pro membro rupto, pœna erat talio; pro esse autem fracto, certæ erant pœnæ pecuniariæ. Nunc secundum gradum dignitatis, vitæque honestatem, æstimatio injuriæ, et consequenter pœnæ, crescit, minuiturve. *§. 7. Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS V.

DE OBLIGATIONIBUS QUÆ QUASI ex Delicto nascuntur.

*Quid est quasi malefictum, seu delictum?*  
Omne factum, quo quis propriè quidem dici non potest deliquisse, sed tamen

quod maleficio est proximum.

*Quænam est Obligatio quæ ex quasi delicto nascitur ?*

Ea quæ non ex voluntate, et destinatione agentis, sed magis ex imperitia, negligentiave proficiscitur, tanquam ex quasi delicto.

*Quot sunt species quasi delicti ?*

Quatuor. Male per imperitiam iudicatum, Dejectum vel effusum, Positum vel suspensum, et Furtum in navi, caupona, vel stabulo factum.

*Quid venit dejecti, vel effusi nomine ?*

Omne damnum, quod deiectione vel effusione sine dolo facientis illatum est, in eo loco qua vulgo iter fit. *Gaj. l. 5. §. 5. D. de obl. et act.*

Dejici dicuntur res solidæ; effundi liquidæ.

## TITULUS VI.

### DE ACTIONIBUS.

*Quid est Actio ?*

Jus persequendi in judicio quod sibi debetur. *Cels. l. 51. D. de obl. et act.*

Hic nomine juris venit potestas jure publico tributa.

*Quotuplex est Actio ?*

Duplex. Alia in rem, alia in personam.

*Quænam est Actio in rem, sive Realis ?*

Ea, per quam rem nostram quæ ab alio possidetur petimus. *Ulp. l. 25. D. de obl. et act.*

*Quænam est Actio in personam, sive Personalis ?*

Ea, qua cum eo agimus qui obligatus est nobis ad faciendum aliquid, vel dandum. *Ibi.*

*Item Actio alia est Confessoria, alia Negatoria.*

Confessoria est: Ea, qua quis sibi servitutum competere asserit. *Ul. l. 2. D. si serv. vind.*

Negatoria est: Ea, qua quis ad alium servitutum pertinere negat. *Ibid.*

*Item Actio alia est Civilis, alia Prætoria.*

Civilis est: Quæ ex civilibus, et legitimis causis descendit.

Prætoria est: Ea, quam Prætor ex sua jurisdictione comparatam habet.

Actiones Prætoriæ aliæ sunt Reales, aliæ Personales.

### ACTIONES PRÆTORIÆ REALES.

*Publiciana.*

Est Actio in rem Prætoria, quæ datur ad vindicandam rem ex justa causa ali-

cui traditam, nondum usucaptam, amls-  
sa casu illius possessione. §. 4. *Imp. Inst. h. t.*

### *Rescisoria.*

Est Actio in rem Prætoriam, quæ rescisa  
usucapione, quæ facta esse negatur, datur  
pristino rei domino, ad recuperandam rem  
suam a possessore usucaptam, quasi, nun-  
quam usucapta fuisset. §. 5. *Imp. Inst. h. t.*

### *Pauliana.*

Est Actio in rem Prætoriam, quæ datur  
creditoribus ad rebocanda ea, quæ in frau-  
dem creditorum alienata sunt. *Ulp. l. 1. §. 1. D. quæ in frau. cred.*

### *Serviana.*

Est Actio in rem Prætoriam, competens  
domino, ad persequendas res Coloni, jure  
pignoris pro mercedibus fundi obligatas,  
adversus quemcumque possessorem. §. 7.  
*Imp. Inst. h. t.*

### *Quasi Serviana, seu Hypothecaria.*

Est Actio in rem Prætoriam, quæ credito-  
res pignora, hypothecasve persequuntur.

Hæc cum sit in rem, et detur creditori,  
differt a Pigneratitia, quæ est in personam,  
et datur debitori, adversus creditorem ex

contractu obligatum, ad pignus quod ac-  
cepit soluto debito restituendum. *Vinn. ad*  
§. 7. *Imp. Inst. h. t. num. 6. et ad §. 4. Imp.*  
*Inst. quib. mod. re cont. obl. num. 3.*

## ACTIONES PRÆTORIÆ PERSO- nales.

### *De constituta pecunia.*

Est Actio Prætoriam personalis, quæ da-  
tur adversus eum, qui citrà stipulatio-  
nem constituit se soluturum id, quod prius  
ipse, aut alius, quacumque ex causa, etiam ex  
nudo pacto, naturali tantum obligatione  
debebat. §. 9. *Imp. Inst. h. t.*

### *De Peculio.*

Est Actio Prætoriam personalis, compe-  
tens ei, qui cum filiofamilias, vel servo pec-  
ulium habentibus contraxit adversus Pa-  
trem, vel dominum, ut peculio tenus de-  
ductis his quæ naturaliter ipsis debita sunt,  
condemnentur. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

### *In factum ex Jurejurando.*

Est Actio Prætoriam personalis, competens  
ei qui postulante adversario, juraverit de-  
beri sibi pecuniam quam peteret, neque ei

solvatur. §. II. *Imp. Inst. h. t.*

## ACTIONES PRÆTORIÆ POENALES.

### *De albo corrupto.*

**E**st Actio competens ei, qui album Prætoris corrupit, §. 12. *Imp. Inst. h. t.*

#### *Quid est Album Prætoris?*

Tabula gypsata, in qua edictum prescriptum proponebatur palam, ut unicuique legendi potestas esset.

#### *Quotuplex est hoc Edictum?*

Duplex. Perpetuum, quod per universum Prætoris imperium permanet, et in omnibus obtinet causis; et Temporale, et paucorum dierum, quod ad causas singulas, et oborta negotia accommodatur, quale est citatorium, et peremptorium.

In eum, qui perpetuum Prætoris edictum corrupit, poena 500. aureorum imposita est. *Ulp. l. 7. D. de jurisd.*

Ille qui quid ex temporali Prætoris edicto corrupit, prout res incidat, puniendus.

### *De Patrono, aut Parente sine venia in jus vocato.*

Est Actio competens adversus eum, qui

sine permissu Prætoris in iudicium vocaverit personas quæ sine Prætoris permissu, potestatis, honoris, vel reverentiæ causa in iudicium vocari prohibentur; ut sunt Patentes, patroni, &c. §. *Imp. Inst. h. t.*

In hos, 50. aureorum iudicium datur. *Ulp. l. 24. D. de in jus. voc.*

### *De in jus vocato, vi exempto.*

Est Actio competens adversus eum, qui vocatum in jus vi exemerit, aut cuius dolo alius exemerit, §. 12. *Imp. Inst. h. t.*

Pœna adversus hunc definita non est, sed secundum delicti qualitatem puniendus.

#### *Quænam sunt Præjudiciales Actiones?*

Ææ, quibus inter aliquos agitur de alterius statu, dum aut unus alterius statum oppugnans, in eo aliquid juris sibi vindicat; aut alter adversus alterius oppugnationem, statum suum sibi defendit.

#### *Quotupliciter agitur de alterius statu?*

Tripliciter. De libertate, de ingenuitate, de jure familia. Horum unicuique una actio præjudicialis correspondet.

Agitur de libertate, cum quæritur an quis liber sit, an servus.

Agitur de ingenuitate, cum quæritur an quis libertus sit, an ingenuus.

Agitur de jure familiæ, cum quæritur an quis filius sit. necne.

*Quomodo appellantur Actiones in rem, et in personam?*

Actio in rem appellatur vindicatio, actio in personam condictio. *Ulp. l. 25. D. de obl. et act.*

*Quid est Comperendinatio?*

Ab utrisque litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendinum diem.

*Actionum, aliæ, sunt persecutoriæ rei, aliæ pœnæ, aliæ rei et pœnæ.*

Persecutoriæ rei, sunt actiones quibus persequimur quod ex patrimonio nobis abest. Hujusmodi sunt omnes actiones in rem, et fere omnes actiones in personam, quæ ex contractu descendunt. *Paul. l. 35. D. de obl. et act. §. 17. Imp. Inst. h. t.*

Persecutoriæ pœnæ, sunt actiones quæ tantum pœnæ persecuendæ causa comparatæ sunt; et sunt omnes actiones impersonam quæ ex maleficiis descendunt. *§. 18. Imp. Inst. h. t.*

Persecutoriæ rei, et pœnæ, seu mixtæ, sunt actiones quæ tam pœnæ, quam rei persecuenda causa comparatæ sunt. Tales sunt actio vi bonorum raptorum; Legis Aquiliæ, et de legato locis propriis relic-

to. §. 19. *Imp. Inst. h. t.*

**ACTIONES IN REM, ET IN PERSONAM simul.**

*Actio Familiæ Erciscundæ.*

Est Actio competens cohæredibus, de dividenda hæreditate, et de eo quod alterum alteri præstare oportet. *§. 20. Imp. Inst. h. t.*

Hæc Actio præstationes quasdam personales continet, quibus hæres hæredi propter communionem rerum est obnoxius.

*Actio Communi dividundo.*

Est Actio quæ inter eos redditur, inter quos aliquid commune est, (extra causam hæreditatis) ut id dividatur. *Ibid.*

Finis hujus Actionis est duplex: Primus ut recedatur ab harum rerum communi-  
one; secundus ut utrinque præstetur, quod alterum alteri præstare oportet, lucri damni, et impensarum nomine.

*Actio Finium regundorum.*

Est Actio quæ inter eos redditur, qui confines agros habent, ad hoc ut ad suam normam, et certitudinem redigantur. *Ibid.*

Actiones, aliæ sunt in simplicum, aliæ in



duplum, aliæ in triplum, aliæ in quadruplum; ulterius nulla actio extenditur. §. 21. *Imp. Inst. h. t.*

*Quænam est Actio in simplum?*

Ea qua petitur ipsum simplum: ut actio ex stipulatu, ex empto, vendito, &c.

*Quænam est Actio in duplum?*

Ea qua petitur ipsum duplum. Hujus quinque sunt species, nimirum furti nec manifesti, damni in juria ex lege Aquilia, depositi ex quibusdam causis, servi corrupti, et ex legato.

*Quænam est Actio in triplum?*

Ea qua triplum ipsum petitur. Hac agitur, cum aliquis majorem vera estimatione quantitatem libello conventionis inseruerit, ea mente, ac fraude, ut viatores, apparitores, seu executores litium, amplio-rem summam sportularum nomine a Reo exigent. Hæc in usu non est.

*Quid est Libellus conventionis?*

Scriptum, quo Actor petitionis suæ rationem, et speciem futuræ litis in judicio exprimebat.

*Quid sunt Sportulæ?*

Merces, sive salaria executorum.

*Quænam est Actio in quadruplum?*

Ea quæ quadruplum ipsum exigitur, ut

actio furti manifesti, quod metus causa, de calumnia, adversus executores litium qui plus constituto sportarum nomine exegerint.

*Item Actiones aliæ sunt Bonæ fidei, aliæ Stricti juris, aliæ Arbitrariæ.*

Actiones bonæ fidei sunt illæ, in quibus libera potestas Judici permittitur, æstimandi inter litigatores quid alterum alteri ex bona fide præstare oporteat. En eas numero quindecim in his versibus:

Vende, loca, manda, sis gestor, sive sodalis.

Sis consors assis, condominusve rei.

Da vendendum aliquid pretio sub lege statuto.

Permuta, aut usum suscipe gratuitum.

Suscipe depositum, tutelam, piguora dotem,

Aut bona defuncti quæ tibi cessit amor.

Siceris ex illis quibus est ultròque citròque

Actio, quæ fidei dicitur esse bonæ.

Actiones stricti juris sunt illæ, in quibus potestas Judicis formulæ adstringitur, seu

illis rebus in quas Prætor jubebat condemnationem fieri. Hujusmodi sunt actiones

quæ oriuntur ex stipulatu, mutuo, &c.

*Quid est Compensatio?*

Debiti, et crediti inter se contributio.

*Modest. l. 1. D. de compensat.*

Actiones arbitrariæ sunt, quæ ex arbitrio Judicis pendent, in quibus Reus si arbitrio Judicis paruerit, devitat condemnationem. Hujus furfuris sunt Publiciana, Serviana, &c. §. 31. *Imp. Inst. h. t.*

*Quot modis plus petitur?*

Quatuor. Re, tempore, loco, et causa.

*Quis dicitur re plus petere?*

Qui majorem, vel summam pecuniæ, vel partem rei quam quæ sibi debetur, petit.

*Quis dicitur tempore plus petere?*

Qui quod in diem promissum est, ante diem petit.

*Quis dicitur loco plus petere?*

Qui quod certo loco sibi dari stipulatus erat, alio loco purè petit.

*Quis dicitur causa plus petere?*

Qui ex plurimis rebus disjunctim promissis, unam aliquam certam petit; vel genere promisso, petit certam speciem.

*Quænam est pœna plus petentium?*

Olim erat, ut Actor causa caderet; id est rem amitteret. Hodie non ita, sed qui hodie plus petit re, loco, et causa, condemnatur ad omne interesse, quod debitori per suam plus petitionem intulit. Ille verò qui plus tempore petit, condemnatur in litis

expensas, et duplicantur induciæ; id est duplicatur illud tempus, quod debitori restabat ad solvendum; veluti si uno mense petierit citius quam petere debuit, tunc expectare cogitur duos menses. §. 33. *Imp. Inst. h. t.*

Quædam sunt Actiones, quibus non semper solidum quod nobis debetur persequimur, sed modò solidum, modò minus; videlicet actio de peculio, de dote, si parens a filio emancipato conveniatur, si patronus conveniatur a libertò, &c.

## TITULUS VII.

QUOD CUM EO, QUI IN ALIENA potestate est, negotium gestum esse dicitur.

Actionum aliæ sunt directæ, aliæ indirectæ.

Directæ sunt: Quæ in nos nostro nomine competunt.

Indirectæ sunt: Quæ in nos alieno nomine competunt.

*Quod sunt Actiones indirectæ?*

Sex. Quod jussu, Exercitoria, Institoria, Tributoria, de peculio, et de in rem verso.

*Quid est Actio quod jussu?*

Est Actio Prætoria personalis, competens adversus Patrem, vel dominum, ex contractu filiifamilias qui jussu Patris sui, vel servi qui jussu domini contraxerit. Et quidem actio in solidum, nam quodammodo cum eo contrahitur qui jubet. *Ulp. l. 1. D. quod jussu.*

*Quid est Actio Exercitoria?*

Est Actio Prætoria personalis, qua in solidum tenetur Exercitor navis, ex contractu Magistri quem ipse navi præposuit. *Paul. l. 1. D. de exer. act.*

*Quis est Exercitor navis?*

Ille ad quem obventiones, et redditus omnes perveniunt, sive is dominus navis sit, sive a domino navem per aversionem conduxerit, vel ad tempus, vel in perpetuum. *Paul. ibid. §. 15.*

*Quis est Magister navis?*

Ille, cui totius navis cura mandata est. *Paul. ibid. §. 1.*

*Quid est Actio Institoria?*

Est Actio Prætoria personalis adversus dominum, ex contractu servi quem tabernæ, aut cuilibet alii negotiationi præposuit. *Paul. ibid. in prin.*

Dicitur Institoria, ab Institore, ita dic-

to ex eo quod negotio gerendo inter; nec multum interest tabernæ sit præpositus, aut cuilibet alii negotiationi. *Ulp. l. 3. D. de instit. act.*

*Quid est Actio Tributaria?*

Est Actio Prætoria personalis, qua si servus in peculiari merce sciente domino negotietur, et quid cum eo ejus rei causa contractum sit; quidquid ex his mercibus erit, quodque inde receptum erit, id inter dominum, si quid ei debeatur, et cæteros creditores, pro rata portione distribuitur. *Ulp. l. 1. et 5. §. 5. D. de tribut. act.*

*Quid est Actio peculio?*

Est Actio Prætoria personalis, ex contractu eorum qui alieno juri subjecti sunt proveniens, peculio tenus competens, ratione administrationis peculiaris.

*Quid est Actio de in rem verso?*

Est Actio Prætoria personalis, quæ ex contractu filiifamilias, vel servi, datur in Patrem, vel dominum, de eo quod in patrimonium ejus redactum est: idque idem, ne quis cum alterius jactura locupletetur; non tamen in plus tenetur quam versum est. *§. 4. Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS VIII.

## DE NOXALIBUS ACTIONIBUS.

*Quænam sunt Noxales Actiones?*

Quæ non ex contractu, sed ex noxa, atque maleficio servorum, adversus dominos instituuntur. *Gaj. l. 1. D. h. t.*

*Quænam est vis, et potestas hujus actionis?*

Ut si dominus damnatus fuerit, liceat ei deditione corporis quod deliquit, evitare litis æstimationem. *Ibid.*

*Quotupliciter agitur ex delictis privatis servorum?*

Dupliciter. Vel criminaliter, vel civiliter. *Ulp. l. 92. D. de furtis.*

Criminaliter, ex delicto servi, cum domino non agitur, sed in ipsum servum, eumque solum, accusatio et vindicta criminis dirigitur.

Civiliter, seu pecuniariè cum solo domino agi potest, et si dominus jusserit servum delinquere, aut cum posset prohibere non prohibuit; in solidum obligatur, perinde ac si ipse deliquisset; si verò ignoraverit, vel cum sciret, prohibuerit, sed frustra; no-

xalis actio in eum datur.

*Quid est Noxa?*

Ipsum corpus quod nocuit, seu deliquit. §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Noxia?*

Ipsum malefictum quod admissum est, ut furtum rapina, &c. *Ulp. l. 1. §. 1. D. si quad. pau. fec. dic.*

## TITULUS IX.

## SI QUADRUPES PAUPERIEM fecisse dicatur.

*Quid est Pauperies?*

Damnum sine injuria facientis datum. *Ulp. l. 1. §. 3. D. si quad. pau. fec. dic.*

*Quando habet locum Actio de pauperis?*

Quoties animal non naturali, sed contra naturam generis sui feritate motum, damnum dederit: nam motus in animali non nisi qui contra naturam est, huic actioni locum præbet. *Ulp. ibid. §. 4.*

*Ad quid tenetur Dominus quadrupedis quæ pauperiem fecerit?*

Tenetur dare animal, quod noxiam commisit, aut æstimationem noxæ offerre. *Ulp. l. 1. D. si quad. pau. fec. dic.*

## TITULUS X.

## DE IIS PER QUOS AGERE POSSUMUS.

*Per quas personas agere possumus?*  
**P**er quascumque velimus Olim alterius nomine agi non poterat, nisi in quatuor casibus, nimirum pro Populo, pro libertate, pro tutela, et pro captivis. Hodie verò quilibet non solum suo, sed etiam procuratorio nomine in quacumque causa agere potest, quia omnia iudicia sunt extraordinaria. *Prin. Imp. Inst. h. t.*

*Quis est Procurator?*

Qui aliena negotia mandatu domini administrat. *Ulp. l. 1. D. de proc. et def.*

## TITULUS XI.

## DE SATISDATIONIBUS.

*Quia est Satisdare?*

**F**idejussoribus datis cavere. *Gaj. l. 1. D. qui sat. cog.*

*Quid est Satisdatio?*

Cautio qua adversarium securum facimus pro eo quod a nobis petiit, datis fidejussoribus, aut pignoribus. *Gaj. ibid.*

Si lis per procuratorem inferatur, tenetur satisdare procurator ratam rem dominum habiturum. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XII.

DE PERPETUIS, ET TEMPORALIBUS Actionibus, et quæ ad hæredes, et in hæredes transeunt.

*Quænam sunt Actiones perpetuæ?*

**Q**uæ ex legibus, Senatusconsultis, vel similibus juris constitutionibus introductæ sunt. Ita dictæ, quod olim in perpetuum darentur, cum ex lege descendant, cujus perpetua est auctoritas.

*Quænam sunt Actiones temporales?*

Quæ ex propria Prætoris jurisdictione pendent. Ita dictæ, quod tantum intra annum vivunt, cum Prætoris sit tantum intra annum imperium.

Actionum aliæ dantur hæredibus, et in hæredes; aliæ hæredibus, sed non in hæredes; aliæ neque hæredibus, neque in hæredes.

Hæredibus, et in hæredes, dantur quæcumque actiones quæ tantum rei persequen-

dæ causa comparatæ sunt; ut sint illæ quæ ex contractu descendunt.

Hæredibus sed non in hæredes, dantur actiones ex maleficiis pœnales.

Neque hæredibus, neque in hæredes, dantur actiones injuriarum, et si quæ sunt similes, quæ vindictæ persecutionem contineant.

### TITULUS XIII.

## DE EXCEPTIONIBUS.

*Quid est Exceptio?*

Defensio rei, quæ actioni aliqui jure constitutæ opposita, hanc ipsam æquitatis ratione excludit. *Ulp. l. 2. D. h. t.*

Exceptionum aliæ sunt Civiles, aliæ Prætoris. *§. 7. Imp. Inst. h. t.*

Civiles sunt: Quæ ex legibus, vel his quæ legis vicem obtinent oriuntur. Hujusmodi sunt, exceptio S. C. Vellejani, et exceptio ex lege Julia, et Cincia.

Prætoris sunt: Quæ ex ipsius Prætoris jurisdictione substantiam capiunt. Talis est exceptio pacti de non petendo.

Item Exceptionum aliæ sunt Perpetuæ, et

peremptoriæ, aliæ Temporales, et dilatoriæ.

Perpetuæ, et peremptoriæ sunt: Quæ semper agentibus obstant, et semper rem de qua agitur perimunt. Ita sunt exceptiones doli mali, rei judicatæ, &c. *Gaj. l. 3. D. et §. 9. Imp. Inst. h. t.*

Temporales; seu dilatoriæ sunt: Quæ ad tempus nocent, et temporis dilationem tribuunt. Seu: Quæ non semper locum habent, et evitari possunt; uti est hæc, pacti conventi. *Gaj. ibid. et §. 10. Imp. Inst. h. t.*

Amplius: Exceptionum aliæ sunt Reales, aliæ Personales. Reales sunt, quæ rei cohærent. Personales sunt, quæ personæ cohærent. *Paul. l. 7. prin. et §. 1. D. h. t.*

### TITULUS XIV.

## DE REPLICATIONIBUS.

*Quid est Replicatio?*

Secunda Actoris allegatio, ad firmandam actionem suam adversus exceptionem a Reo oppositam.

*Quid est Duplicatio?*

Exclusio replicationis; seu secunda allegatio ipsius Rei.

Si replicatio prima fronte justa, revera autem iniqua fuerit, datur Reo contra eam duplicatio, et rursus contra duplicationem datur Actori triplicatio, sicque deinceps nomina multiplicentur, quoties Actor, vel Reus objicit; allegationumque ultrò, citròque modus est infinitus. §. 1. 2. et 3. *Imp. Inst. h. t.*

## TITULUS XV.

### DE INTERDICTIS.

#### *Quid est Interdictum?*

**D**ecretum Prætoris certis verbis conceptum, quo in causis possessionum, vel quasi possessionum jubebat aliquid fieri, aut fieri vetabat, prout id rei de qua agebatur conveniebat.

#### *Quomodo dividuntur Interdicta?*

In Prohibitoria, Restitutoria, et Exhibitoria.

#### *Quænam sunt Prohibitoria?*

Ea quibus Prætor vetat aliquid fieri; ut interdictum de mortuo inferendo, §. 1. *Imp. Inst. h. t.*

#### *Quænam sunt Restitutoria?*

Ea quibus Prætor aliquid restitui jubet; ut interdictum unde vi. *Ibidem.*

#### *Quænam sunt Exhibitoria?*

Ea per quæ Prætor juvet aliquid exhiberi, ut Parenti liberos, domino servos, &c. *Ibidem.*

Item Interdicta quædam adipiscendæ, quædam retinendæ, quædam recuperandæ possessionis causa comparata sunt.

Interdicta adipiscendæ possessionis sunt: Quæ comparata sunt ad possessionem quam antea non habuimus, nunc primò acquirendam. Talia sunt interdictum quorum bonorum, et Salvianum. *Paul. l. 2. §. 3. D. de interd. sive ext. §. 3. Imp. Inst. h. t.*

Interdicta retinendæ possessionis sunt: Ea per quæ eam possessionem quam jam habemus, retinere volumus. Hujus generis sunt Interdicta uti possideris, et utrobi. *Paul. ibid. Ulp. l. 1. §. 4. D. uti pos. §. 3. Imp. Inst. h. t.*

Interdicta recuperandæ possessionis sunt: Ea quæ ad possessionem recuperandam dantur ei qui ex possessione fundi, vel ædium vi dejectus fuerat. Hujusmodi est interdictum unde vi. *Paul. ibid. Ulp. l. 1. §. 1. et 2. D. quod vi aut clam. §. 6. Imp. Inst. h. t.*

Item Interdicta alia sunt Simplicia, alia Duplicia.

Simplicia sunt: Ea in quibus uterque litigantium unam tantum personam representat, alter nimirum Actoris, alter Rei. §. 7. *Imp. Inst. h. l.*

Duplicia sunt: Ea in quibus uterque litigantium duplicem personam sustinet, Actoris scilicet, et Rei. *Ibid.*

## TITULUS XVI.

### DE POENA TEMERE LITIGANTIIUM.

Triplex est poena temerè litigantium, scilicet: Jusjurandum calumniæ, poena pecuniaria, et infamia.

*Quid est Jusjurandum Calumniæ?*

Juramentum quo litigantes jurant litem sibi justam videri, et non calumniosè procedere.

*Quid est Poena pecuniaria?*

Olim poena pecuniaria erat decimæ partis litis mulctatio. Hodie temerarius Actor in damnum, et impensas litis condemnatur.

*Quid est Infamia?*

Est læsio æstimationis, seu famæ,

*Quotuplex est Infamia?*

Duplex. Juris, et Facti.

Infamia Juris est, quæ infligitur a jure, vel per sententiam Judicis.

Infamia Facti est, quæ descendit solum ex judicio gravium virorum.

En exempla: Si fur non fuerit condemnatus, infamia facti tantum laborabit; si condemnatus fuerit, etiam infamia juris.

*Quid est in jus vocare?*

Aliquem vocare qui jus dicturus est, juris experiundi gratia.

## TITULUS XVII.

### DE OFFICIO JUDICIS.

*Quid est Litis Contestatio?*

Negotii hinc inde apud Judicem facta narratio, continens petitionem Actoris, et ad eandem Rei conventi responsionem, per contradictionem. *Sever. et Ant. l. 1. C. de lit. contest.*

*Quenam in Judice requiruntur?*

Ut potestatem judicandi habeat, ut eam habeat in causa de qua lis movetur, et ut suspectus non sit illi qui convenitur.

*Quod Personæ in judicio requiruntur?*



Tres. Actor, et Judex.

*Quodnam est Officium Judicis?*

Judicare secundum id quod legibus, aut moribus proditum est. *Justin. l. 13. C. de sent. et int. omn. jul. Prin. Imp. Inst. h. t.*

Judex secundum acta, et probata, ita judicare debet, ut numquam contra conscientiam suam judicet.

*Quid est plena causæ cognitio, et justa inquisitio?*

Cum Judex nil eorum quæ ad intentionem Actoris, et defensionem Rei pertinentia afferuntur, quæque judicii natura non repudiat, prætermittit, quin audiat, cognoscatque. *Const. l. 9. C. de judiciis.*

*Quid est Exhibere?*

Rei in publico potestatem facere, tum videndæ, tum contractandæ, ut experiri di sit copia. *Paul. l. 2. D. ad exhib.*

## TITULUS XVIII.

### DE PUBLICIS JUDICIIS.

*Quenam sunt Publica Judicia?*

**E**s, quibus agitur de delicto publico, v. gr. de criminæ læsæ majestatis, de

homicidio, &c.

*Publica Judicia alia sunt Capitalia, alia non Capitalia.*

Capitalia sunt: Quæ ultimo supplicio afficiunt homines, vel etiam aquæ, et ignis interdictione, vel deportatione, vel metallo. Uno verbo: Ea quorum poena est mors naturalis, vel civilis. *Paul. l. 2. D. de publ. jud. §. 2. Imp. Inst. h. t.*

Non Capitalia sunt: Ea ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio, poena est. *Ibid.*

*Quid venit nomine ultimi supplicii?*

Sola mors. *Cels. l. 21. D. de pœnis.*

*Quid est Crimen læsæ Majestatis, sive Perduellii?*

Cum quis aliquid hostili animo adversus Rempublicam, vel Principem machinatus est. *Ulp. l. 1. §. 1. D. ad leg. jul. maj.*

*Quid est Adulterium?*

Alieni thori violatio. Sive; Coitus cum aliena uxore factus. *Modest. l. 34. §. 1. D. ad leg. l. Jul. de adult.*

*Quid est Stuprum?*

Illegitimus coitus cum virgine, vel vidua. *Papin. l. 6. §. D. de eod.*

*Quid est Homicidium?*

Violenta vitæ hominis ademptio.

Triplex est homicidium, voluntarium, necessarium, et casuale.

Homicidium voluntarium est, quando quis destinata, et mala voluntate aliquem occidit.

Necessarium est, quando quis moderate inculpatae tutelae, et ob sui defensionem aliquem occidit.

Casuale est, quando quis non destinata voluntate, sed casualiter aliquem occidit.

*Quis est Veneficus?*

Qui veneno, vel artibus odiosis, aut surris magicis hominem occidit. §. 5. *Imp. Inst. h. t.*

Plus est hominem veneno quam gladio occidere. *Ant. l. 1. C. de malef.*

*Quid est Parricidium?*

Asperriimum crimen, quod committitur ab eo qui Parentis, aut filii, aut omnino adfinitatis ejus quae nuncupatione Parentum continetur, fata praeparaverit; aut ab eo cujus dolo malo id fuerit factum. *Marc. l. 1. D. ad leg. Pomp. de par. 2. 6. Imp. Inst. h. t.*

*Quid est Crimen falsi?*

Cum quis testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, vel signum adulterium fecerit.

§. 7. *Imp. Inst. h. t.*

*Quaenam est Vis publica?*

Quaer fit cum armis. §. 8. *Imp. Inst. h. t.*

*Quaenam est Vis privata?*

Quaer fit sine armis. *Ibid.*

*Quid est Raptus?*

Cum quis honestae famae foeminam, sive virgo, sive vidua, sive etiam vestalis, aut monialis sit, invitis illis in quorum est potestate, abducit. *Justin. l. 1. C. de rapt. virg.*

*Quid est Peculatus?*

Pecuniae publicae, aut rei sacrae furtum.

*Quid est Plagium?*

Liberi hominis, vel servi alieni suppressio, dolo malo facta.

FINIS.







